

C. S. SCHURTZFLEISCHII  
Epitomes Historicæ  
JO. SLEIDANO  
*cæptæ,*  
Deinceps ad annum  
cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c LXIX.  
*productæ,*  
Nunc ad An. cl<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>c. XXVI.  
*prolatae*  
Series , rerum temporumq[ue]  
Ordine confecta.



298

**P**Er hoc tempus concilia-  
tis iterum animis præpoten-  
tium regum, qvi Europam  
ferē in partes trahunt, Bur-  
gundia in primis & Belgium, finitimæq; et-  
jam Germanicæ ditionis provinciæ receptæ  
1668. ex formulâ pactionis Aqvisgranensis  
tranquillitate lætabantur. Cujus maturan-  
dæ multas & graves causas rex Christianissi-  
mus habuit, propterea qvòd Angli Batavi-  
que pro Hispanorum defensione annite-  
bantur, foedusq; cum Svedis pacti, negoti-  
um hoc summâ cum curâ studiôq; conficie-  
bant. Qvibus rebus etsi ille graviter est of-  
fensus, tamen fœderatorum auctoritati po-  
stulatisq; concessit, & ultionem quieti pu-  
blicæ remisit ad tempus, expectans occasio-  
nem qvâ destinata exeqveretur, & in au-  
tores ejus fœderis, qvod triplex dici cœ-  
ptum est, repertô belli titulô vindicaret. Id  
qvenadmodum acciderit, qvibusq; con-  
siliis asscutus fuerit, referri attinet, ut  
unde initia causæq; ejus belli ducendæ  
sint

sint, sine difficultate intelligatur. Etenim Galliae rex Ludovicus XIV. haud æqvō animo ferebat, se impediri, qvō minus frumentum caperet ejus Juris, qvod sibi connubii nomine in Brabantiam, cæterosqve Belgii Hispanici principatus obvenisset: videbat autem Batavos securitatis suæ rationes ab Hispanorum fortunâ minimè esse sejuncturos, ut qvi & svasores præcipue & socii fœderis sibi tam suspecti maximèq; invisi fuissent. Itaq; obicem hunc amovendum ratus, omnes vires studiūmq; eò impendit, ut regem Angliae Carolum II. amplissimis muneribus, & multis eam ad rem oblatis conditionibus sibi conciliaret. Qvi et si principio his destinatis obnitezatur, & suspicio ni etiam locum dabat adeò, ut per legatum exqvireret, qvorsum tot tantiq; regis Christianissimi navales apparatus spectarent: tamen precibus promissisqve victus, ejus consiliis conatibusq; annuere tandem cœpit, recordatione superioris offensæ, damni, qve nuper in Tamesi accepti recentiori memoria acriùs in vindictam stimulatus, & instaurandæ insuper propinqvæ domus Com-

commodâ hac occasione usus. Ad hæc veteres, & tunc denuò excitatæ æmulationes controversiæq; super commerciis coloniis-que transmarinis, nec non super demissio-  
ne applustrium piscationeq; halecum, tan-  
quam auctoramentis imperii maris jam du-  
dum agitatæ atq; tunc renovatæ lites mul-  
tùm ad abalienandum Angli animum valu-  
erunt: præsertim qvòd speciosis rationibus  
à Colbertiò hujus instituti causâ in Angli-  
am missô exaggerabantur. Inter hæc limes  
Rheni armis Lotharingicis hucusq; per-  
turbatus, 1669. pacem recepit, Duxq; Ca-  
rolus auctorati Cæsar is, & voluntati regis  
Galliax reconciliationem concordiæ flagi-  
tantium cessit, qvi palatini fines hostilem in  
modum divexaverat, postqvam se passus est  
adduci ad eligendas partes belli Wild-  
fangici, cuius hæc origo fuit. Qverebatur  
Johannes Philippus, Moguntiæ pariter &  
Wormatiæ Heripolisq; Antistes, sumere  
id sibi Carolum Ludovicum, Electorem Pa-  
latinum, ut ex præscriptô cuiusdam privi-  
legii homines in suis accolari inqve Princi-  
pum & imperii Ordinum regionibus  
pro-

proprios faciat mancipetqve : id vero magnô cum suô damnô conjunctum esse, & ad injuriam ditionis suæ finitimorumq; pertinere. Simul allatæ sunt rationes, cur id ferre nequeat : siquidem nemo Principum committere debeat, ut jura certis territoriorum finibus descripta qvôvis modô oppugnentur, ac populi suis legibus parentes ejusmodi onere molestiisqve afficiantur, ut sibi justum debitumqve tributum pendere ne possint. At reclamabat Palatinus, antiquis tabulis, & usu temporis memoriam excedentis, possessioneq; nunquam interruptâ fretus. Cujus causa qvanquam justissima erat, tamen nimis fervide acta plurisqve videbatur, qvòd hoc ejusmodi negotium esset, unde graviores motus excitari potuissent, nisi Galliæ & Svediæ reges titulô sponsorum pacis Westphalicæ, ut qvâ restitutio omnium Palatinatus Rhenani jurium sanciretur, commodum se interposuissent, & per legatos, qui arbitrorum partibus fungebantur, eam tam insignem magnique momenti controversiam decidissent. Eqvidem do-

cebat,

cebat Palatinus, nil ab iure suô alienum, nec aliquid extra, nedum contra privilegium ab se qværi: sed jus à multis seculis familiæ suæ attributum firmatumqve propugnari: tum verò privilegium mancipandi homines, qvod Wildfangiatum nominant, non ab se confictum, nec recens acquisitum, nec dolô malô impetratum, neqve in ullius injuriam adhibitum fuisse, qvippe qvod vetustate & benignitate Cæsarum qvasi robore se tueretur: etenim jam diu ante Wenceslaum illud proditum domuiqve Palatinæ impertitum, ab eô usque tempore certum ac stabile permanisse, atqve à Maximilianô I. Carolo V. Ferdinandô I. Maximilianô II. Rudolfo II. Matthiâ, Ferdinandô III. & demum à Leopoldô hodiernô Cæsare publicis iterum tabulis rituqve beneficiariô solenniter corroboratum, & qvasi per manus à majoribus traditum, ac omni iure ad se delatum, & nomine titulôqve privilegii retentum, securèqve & citra periculum violandorum alienæ ditionis finium possessum fuisse.

Vix

Vix dum Germania, quā Rhenō alluitur,  
discrimini erepta erat, cùm aliud, idqve  
majoribus viribus ab rege Galliæ cœptum,  
ac deinde Aqvisgrani compositum bellum  
conversioni rerum Lotharingicarum pro-  
lufit, vicinisqve ingentem metum, neqve  
eò minus periculum Germanis attulit, Hi-  
spanos autem Belgasq; submonuit, uti ma-  
tutè cogitarent, qvid ex ruinis finitimi Du-  
cis Belgio Burgundiæqve expectandum es-  
set. Utqve series rerum justis intervallis di-  
stincta, ordine temporis actorumqve si-  
bi respondeat, prius expeditionis in Bel-  
gium Hispanicum susceptæ summa ca-  
pita attingenda duxi, qvam de commu-  
tatione Lotharingiæ commentari incipi-  
am. Atqui verò Christianissimus rex  
omne causæ suæ præsidium in jure mori-  
bus Brabantiae introducto, qvod devo-  
lutionis dicitur, collocabat : idqve eò  
spectabat, ut Mariæ Theresiæ conjugi  
suæ, tanquam natu maximæ Philippi IV.  
regis filiæ principatum Brabantiae, &  
plerasqve alias Belgii Hispanici provin-  
cias, velut lege nascendi debitas vindic-

caret. Verum Hispani obtendebant religionem pacti jurati, qvō Maria, prius quam regi Galliæ nuberet, omni Brabantiaæ successionis jure sese abdicasset. Præterea successionem istam iniqvè peti, qvæ cum rationi juris communis, tum exemplis domesticis planè aduersetur: nullum enim fœminis, maximè Principum stirpe natis, esse succedendi locum, qvoad aliquis virilis sexus hæres supereret. Quid etiam de hòc jure devolutionis sic existimari oportere, ut Principibus libera ejus abrogandi facultas relinqatur, qvippe qui id interdum pro utilitate reipublicæ mutaverint, ut minimum effectus ejus sublatus extinctusque fuerit. Et si vel maximè aliquid hujusmodi in Brabantiaæ sanctum fuisset, tamen supremam de eò cognoscendi & statuendi potestatem fore penes Cæsarem atqve imperium, in qvorum fide clientelâ qve citra dubitationem esset Brabantiaæ ille principatus. Indè ergo intelligi, non fuisse idoneas Gallicæ irruptionis causas, nec modò Hispanorum ius, sed etiam Germaniæ, à cuius beneficio &

tutelâ hic Principatus dependeat, autoritatem læsam esse. Mox aliud postulati Gallici caput erat, qvod Hispani contra pactum constitutæ dotis admisissent, qvodqve in morâ ejus solvendæ fuissent, neqve præstitutô tempore fidem suam liberâssent. Sed Hispani omnem doli suspicionem amoliti affirmabant, omni tempore locôqve ad pecuniam nomine dotis solvendam paratos instructosqve se fuisse, dummodo Galliæ rex tempestivè, & ut moris inter cultos Europæ populos, ac præcipue cognatos vicinosqve reges esset, rite solenniterqve se interpellasset. Dehinc controversia armis disceptata est, cui finem attulit pax Aqvigrani conventa, ad quam accipiendam rex Galliæ non tam ratione aliquâ, quam metu fœderis triplicis est inductus. Dum hæc ibi agebantur, in Hungariâ res Protestantium inclinatæ sunt, dantibus id operam plerisqve Episcopis, ut unâ lege religioneq; omnes continerentur. Qvod Prorestantibus innocentiam obtenden- tibus eo gravius accidit, qvia sacra, & bona possessionesqve ecclesiasticæ multis & va-

& validis regim suorum diplomatis sibi  
addictæ approbatæq; essent. Eò Cæfaris  
Leopoldi ope in invocabant, præfati pa-  
triæ amorem, regique fidem jurejurandō  
astrictam servasse, ac id semper studu-  
isse, ut rerum novarum studium ab se a-  
lienum esset. Apud Sarmatas Johannes  
Casimirus & tate curisq; fractis agitatum  
in animo abdicationis consilium non si-  
ne admiratione querelâque procerum e-  
jus regni effectum dedit, Gallis necessitu-  
dine amicitiaque adeò innexus, ut eum  
propè facti pœniteret, postquam animo  
providebat, alium, quam ipse destinasset,  
successorem designatum iri. Eò regnante  
Cosacorum defectio opes potentiamque  
Poloniæ vehemeuter debilitavit: hinc  
Tartarorum irruptio secuta, magnam  
calamitatem vastitatemque attulit, cuius  
& molem & invidiam sustinuit Johannes  
Casimirus, quippe ejus auctor impulsor-  
que creditus, ut alieniores Ordinis eqve-  
stris animos in obsequium redigeret,  
vinqve faceret libertati: sed istud crimen  
publica epistolâ diluit, falsasq; de se  
opiniones refellit. Tum Lubomirskianis

motibus, quos ob evehendum in fastigium regni ducem Engvianum Ludovica Maria fuisse dicebatur, defunctus tandem miseriæ molestiarumq; omnium portum in Galliâ, cuius commoda apud suos consecutus fuerat, quæsivit. Ejus in locum suffragiis præcipue Ordinis eqvestris promotus est Michaël Korybutus Viefniewicus, Princeps rerum fortunâ qvidem tenui, at suarum rerum ita fatagens, ut procul omni prensatione supremum ejus regni magistratum iniret. Neque sic tamen odia invidiamque effugere potuit, quippe domi ab æmulis, foris à Turcâ lacesitus, quas res adversas magnâ vi animi constantiâq; pertulit, & affinitatem Austricæ honori esse sibi duxit, atque incertos dubiosq; temporum suorum casus consiliis Andreæ Olso Wskii præmunitus lenivit quodammodo ac superavit. Interim Veneti suis accitisque ex Germaniâ & Galliâ auxiliis obsidionem urbis Candiae sustinebant, postquam tremibus in mare missis Turcarum vires hactenus distinuerant insulasq; Archipelagi deprædati fuerant. Sed quia Bellifortius infe-

infelici audaciā rem perdidit, & cæsō eō, Galli domum repetebant, odiaqve subinde inter defensores gliscebant, & valli atqve propugnaculorum ruinæ spem animumq; Italī adimebant, & Germani etiam pugnantes deferebantur, Veneti ad ultimum tām diuturno sumptuosq; bello non sufficiebant: deditio his conditionibus facta est, uti Respublica Veneta præsidiō deductō, de regni Cretensis possessione decederet, & sibi duntaxat haberet insulas portusq; Sudam, Spinam longam & Carabufam.

Vix Belgæ recuperatā pace fruebantur, cūm 1670. bellī consilia in ducem Lotharingiæ convertuntur, qvippe qvi apud Christianissimum regem delatus, qvāsi id ageret, ut consilia in perniciem regni ipsius compararet, magnum ejus odium offenditionemq; incurrit. Cūm enim firmandi ad Rhenum simius, conducendi qve exercitus imperialis rationes atqve consilia per legatum in Comitiū Ratisbonæ habitis exposuisset, tum ab Steggiū non aliter acceptum est, qvām si fidem beneficiarū Principis fecellisset. Verūm

ab alienati regis animi indicia, qvorum  
causæ aliundæ sumtæ ostendebantur, ita  
leviter movebant ducem, ut invadendæ  
regionis suæ periculum vix suspicione  
assequeretur. Præcipua capita, qvæ in  
disceptionem veniebant, hæc fuernnt:  
nempe fœdus pacemqve apud montes  
Pyrenæos initam violâsse, neqve condi-  
tionibus clientelæ Barrensis stetisse:  
qvin imò de damnô Galliæ inferendô  
cum hostibus æmulisqve ejus consilium  
cepisse, regisqve iusta postulata respuisse:  
ad hæc ad disturbanda Mediomatricum  
vicinorumqve ditionis Gallicæ populo-  
rum commercia operam studiumqve at-  
tnisse, veteres item provinciæ suæ ter-  
minos movisse, & regis missionem co-  
hortium militarium flagitantis auctori-  
tati illusisse, atqve alia multa præter &  
contra ejus voluntatem tentâsse, rebus  
qve his concitandorum motuum occa-  
sionem captâsse. E contrariô Lotha-  
ringus omni studiô & multis rationibus  
affirmabat, sese in fide semper & sancte  
perstisste, ac juris beneficiarii rationes,  
in quantum nomine ducatus Barrensis

ad regem pertinererent, diligenter custodi-  
visse, nihilqve adeò lædendi regis causâ  
fecisse: eò minùs de proferendis jurisdictionis suæ finibus cogitâsse, nec nisi  
præter meritum termini moti, commer-  
ciorumqve & vectigalium imminutorum  
invidiam sese sustinere: militem qvoqve  
non ad maieficia injuriasqve Galliæ in-  
ferendas conscripsisse, sed in cō regi mo-  
rem gesisse, qvippe qvi per legatum Au-  
bevillium eam in sententiam se adduxis-  
set, uti aliquot cohortes compararet,  
qvæ Moguntino Erphordiam obfessuro  
suppetias ferrent: hoc ut amorem stu-  
dimqve ~~demonstraret, potestato ab rogo~~  
ge impetratâ curavisse: iaqve in hujus ne-  
gotii suscepiti parte nil contra pacem ad  
montes Pyrenæos firmatam admisisse:  
qvanqvam nec à verâ ejus interpretatio-  
ne abeat, si defensionis suæ causâ arma  
sumat, eò qvòd sibi omni jure liceat, re-  
pellere vim regionesqve suas tutari. Nam  
qvòd conventum esset de copiis ab se di-  
mittendis, ad illud duntaxat tempus spe-  
ctare, qvò inter Gallos Hispanosqve de  
pace restituendâ agebatur. Demum

querebatur, non datum sibi fuisse spatiū deliberandi, nedium satisfaciendi regis postulatis, ac transigendi de rebus mutuō controversis, qvod tamen vel maximē iusturn atqve æqvum futurum fuisset, etiam si aliquid præter officium & contra pactum fecisset. Sed qvia rex occasionum gnarus, prævidebat expeditiōnem fore haud difficultem, & sciebat, majus bellum paraturo Lotharingiæ occupationem esse utilissimam, eò cum summō imperiō misit Franciscum Greqvium, qvi eam totam subegit, Ducem ipsum in captivitatem redacturus, nisi arrepta opportune fugā salvus ad Germanos evasisset. Cujus restitutio cùm Cæsari atqve Ordinibus imperii visa esset justissima, tūm pro eō apud regem legatione publicā & solenni, qvam Godliebio Vindischgræzio Comiti mandaverant, graviter intercesserunt: at totum hoc negotium, repulsā mox latā, irritum, majorisqve offendæ initium fuit. Eqvidem judicabant, ad honorem existimationemqve suam pertinere, uti dux eruptas regiones recuperaret, siqvidem illi tūm

tum propter Lotharingiam patrocinii, tum  
propter Marchionatum Nomenium juris  
beneficiarii fructus constare deberet. Ubi  
autem contrā evenit, qvām sperabant, cre-  
ditum est, istis rebus strui gradum potentiae  
in Belgium proferenda, Burgundiæq; uni-  
versæ in imperium Gallicum redigendæ.

Cum talis esset rerum Lotharingica-  
rum facies, præcipue Hispanis pericu-  
lum ante oculos versabatur, qvōd vires  
suas bello impares, diversaque Procerum  
studia reputarent, qvando vel unius Jo-  
hannis Austrii offensa illorum tempo-  
rum statum immutare potuisset. Sed is  
solitudinem suam Saragossæ præsentem-  
que fortunam amore patriæ constanter  
tulit, opportunèque tunc Johannes Do-  
minicus Zuniga, Comes Montereigiæ  
in Belgium ditionis Hispanicæ missus,  
solicitatâ ac tampestivâ malorum immi-  
nentium cogitatione susceptâ, lapsas  
propœ res fide vigilantiâque suâ instau-  
ravit, & rumorem antehac de permu-  
tandô cum Gallis Hispanicô Belgio nu-  
per vulgatum adventu suo inanem esse

comprobavit, qvippe non passuris Hispanis, ut hōc tali permutationis pactō fœderum clientelarumqve Germanicarum fructus imposterum sibi eripiatur. Eōdem tempore rex Angliæ ob retinendam Eelgii Hispanici pacem, operā Gvilielmī Templi diu expetitum fœderatæ defensionis negotium planè tandem confecit, ut periculum, qvod Hispanis impendebat, conjunctis viribus anteverteretur: sed postqvam Hispanorum rebus prosvium videbatur, non eadem causa ratioqve pro defendendis contra externam vim Batavis valuit, propterea qvod iis novæ subinde offensiones concitabantur, qvibus non multo pōst grave luctuosumq; bellum inter ipsos atqve Anglos est accensum.

Major tunc rerum mutatio Hungariae impendebat, postqvam aliquot illius regni Proceres in custodiā missi, atq; perduellionis postulati sunt, eo qvōd regi suo insidiās struxissent, & voluntate consiliis que barbaris hostibus se conjungere studiissent, eamq; in rem à Gremonvilliō sollicitati, dissidiorum causas quæsivissent, atq;

que patriam his molitionibus conturbata in externum dominatum redigere conati fuissent. Qvarum destinationū auctor Franciscus Nadasdius habitus est, qvi interceptō , qvem prensabat, Hungariæ Palatinatu, offensus dicebat, jura privilegia que ordinum peti, unde post magna rerum conversio est secuta.

In Daniā Christianus V. regnum plenō hæreditariōque jure ad se transmissum au- spicatus , immotus fuit contra partes, qvæ illi fœdere trīplici eligendæ à generalibus F.Belgii Ordinibus offerebantur : At Sve- di, cùm viderent firmioribz præfidiis ad pacem opus esse, fœderi, qvō Belgii West- phaliæque tranqvillitas propugnaretur, nomen dederunt , & alterō post annō per legatum quoque in conventu Bilefeldiensi pronunciārunt , eam esse finitimæ Galliæ potentiam, ut hæc sola Germanis pertime- scenda esset. Sed procedente tempore hæc consilia longè alium , ac fœderati sibi persuaserant , exitum habuerunt. Po- lonia ad res sibi propiores conversa ,  
co-

comiterque excepta Batavorum legatione, nullum fædere tenere voluit, quod regis dignitas peteretur Ordinum dissidiis, reique publicæ securitas incursionibus barbarorum convelleretur. Ac tunc quoque apud Moschos omnis quietes tranquillitasque sublata erat, postquam Stephano Ratzino obscuri generis viro, & audacia ultioneque fraternali necis incenso societas Cosacorum perduellium hanc sceleris exequendi viam patefecerat, ut universo illus gentis imperio exitium moliretur, & prope debellatiis Casanô atque Astrachanô regnis, ad invadendam Moscuam, caput rerum magnis viribus copiisque auctius contenderet. Neque tunc extra discrimen fuit Africa, quam Taffiletta quidam torrentis instar perva- debat, metumque pariter Barbariarum regulis atque Christianorum coloniis clientelisque incutiebat,

Propriis Germaniam tangebat restitu-  
tio Comitis Naslovii Sarapontani, quæ  
post longam acremque disceptationem  
decreto publico imperii ad exitum per-  
ducta est, ut majoribus malis, quæ occu-  
cu-

cupatâ Lotharingiâ ingravescebant, præverteretur, comitatusqve iste unâ cum castrô Homburgensi vero ac pristino domino, ut ius fasqve erat, redderetur. Id quoqve tunc ad periculum suum pertinere existimabant Belgæ, qvòd Antistes Coloniensis vicinæ urbi, qvæ jam à multis inde seculis libera suiq; juris fuit, novum opus nunciaret, qvasi munitiones molesqve recens structas protulisset in suos fines: sed purgare se Colonia, & contra ea, qvæ ex capite violatæ ditionis adferabantur, publicè obtestari cœpit; neqve urbis causam deseruit Cæsar, finitimiqve Belgæ huc spectabant, ut qvia ea urbs multarum rerum, præcipue mercaturæ utilitatibus conjuncta secum consociataqve esset, præterea aditum ad suos fines patefaceret, majori præsidiô firmaretur: Qvippè qui verebantur, ne Galliæ rex, qui vectigalia, qvæ nomine mercium Batavarum pendebantur, intenderat, ac præter morem confuetudinemqve superiorem vehementer oneraverat, bellum sibi conflaret. Eō igitur rerum statu F. Bel-

gæ securitatem urbis haud negligendam  
ducebant, & qvanqvam ex cō qvoqve pa-  
rari sibi invidiam sentiebant, tamen peri-  
culi avertendi causā pro eā urbe summo-  
pere annitebantur, & Rhenobercam qvo-  
qve, repugnante licet acriterqve reposcen-  
te Antifite, propter evidentem metum re-  
tinebant, ut si is forte, qvod tum suspica-  
bantur, partium Gallicarum futurus esset,  
ne aperire hosti venienti aditum, belluni-  
qve in viscera sua transferre posset. Haud  
minor ducum Gvelficorum solicitude  
erat, qvibus super antiquo patrocinii cli-  
entelaris jure, qvod ratione Huxariæ, ur-  
bis ad Vifurgim in diœcesi Corbejensi sitæ,  
qvadringentis fere annis possederunt, lis  
movebatur: cuius compositio etsi qvidem  
in annum sequentem est rejecta: tamen  
Duces submonuit, uti propter accipites  
instantium temporum casus de Brunswi-  
gâ, sine qvâ domi tutis esse non liceret, in  
ditionem postliminiò redigendâ cogita-  
rent, qvippe qvæ non modo patrimonii  
sui principalis pars esset, sed etiam ad re-  
ducendam concordiam, redintegrandasq;  
vires

vires suæ domus, & stabiendum imprimis  
Circuli, qvō continerentur, securitatem  
valeret.

1671. Verum Galliæ rex, ubi Lotharin-  
giā redregerat in potestatem, omnes urbes  
arcesq; ejus validis præfidiis firmavit, de-  
inde civibus incolisq; universis edixit, uti  
omnis imposterum provocatio ad tribunal  
Metense fieret, nec alia, qvā regis man-  
data reciperentur: si contrā eveniret, pro-  
ditæ violatæque reipublicæ crimen esset.  
Postea expeditionem animi causa in Flan-  
driam suscepit, cuius nomine ut in vicino-  
rum suspicionem ne incidere, causam præ-  
se tulit, qvōd cupidō se incessissimè videndi,  
qvæ ex Belgio Hispaciō in suam ditionem  
redacta essent, cum ut cognosceret de con-  
ditione suorum finium, tūm ut curaret, si  
quid ad firmandos eos reperiari comparari-  
que posset. Eō consiliō ad regem An-  
gliæ Rheniqve accolas principes dimisi e-  
rant, qui indicarent, qvamobrem ea profe-  
ctio susciperetur: idqve eō valuit, ut me-  
tum suspicionemqve amoveret, Fœdera-  
tosqve Belgas incertā pacis expecta-  
tio-

tione suspensos relinqueret, qvibus hoc grave sumtuosumqve fore præsciebat. Et si enim pacis hōc annum retinendæ significatio ipsis data est, tamen commutacionem regis voluntatis, conversionemqve in sequentium temporum facile multis indiciis præsentiebant. Neque ignorabat novus Belgii rector Montereius, qvid ex ea re futurum esset, si regi Dunkerkam profecturo fortuna occasionem daret, ut ex destinationum successu negligentiaqve sua animum sumeret. Sed sive id rex seriō noluit, ne si pacem Aqvisgranensem frangeret, Hispanorumqve fœderatos in se concitaret, sive expeditionis ludicrum hoc esse voluit, ut futurum grave memorabileqve bellum ante significaret, sive opportunitatem in aliud tempus differendam statuit, ut urbibus præfectorum animos ad se inclinaret, fama ejus adventus non mediocreiter finitos commovit, maximeqve sollicitum habuit Montereium, ad quem nunçii de proditione instruictisqve insidiis hinc inde afferebantur: augebant periculum Creqvii cohortes, qvum ex Lotha-

tharingiā progressuræ, per Belgii Hispaniæ fines transitum postularent, qvem tentare etiam posse videbantur. Apud Batavos æqvæ salutis suæ anxios supplicatiōnes publicæ sunt indictæ, simulq; cœptum consilium de custodiendis reipublicæ finibus, & præparandis militiæ rebus, accersendisq; sociorum auxiliis, si rex in proposito inferendi belli perseveraret. Utq; ratio defensionis expedita esset, non cessarunt Batavi solicitare Anglum, ut foedus, qvod ad infringendos hostis conatus aptissimum erat, non modò ratum porrò haberetur, sed etiam de integrâ conditionibus multò arctioribus firmaretur, sociiq; ejus ad terenda mutuò, si neceesse esset, summis viribus auxilia obligarentur. Sed qvia id ejusmodi videbatur Anglis, ut non tam ad sua, qvam ad Batavorum commoda dirigeretur: præterea superiores, nec dum obliteratæ offenditæ identidem animis ipsorum occurrebant, & pacis qvoq; ex parte suâ securi esse poterant, & si bellū cuperent, majora ejus præmia apud Gallos ostendebantur, regniq; ilius,

lius, qvod ad vicinorum fortunam permul-  
tum potest, superior curia non peræq; stu-  
debat Batavis, ac spes de eâfuerat, apertiūs  
sentire cœpertint, fœdus æqvamq; amici-  
tiā ejus gentis non diuturnam fore.

In Hungariâ statutum est in eos  
exemplum, qvi crimen in regem admis-  
sum primò, excusandô amoliri, deinde  
agnoscere deprecariq; cœpertint, in quo-  
rum numero erant aliqui illustri locô natî  
proceres, Francisc⁹ Nadasdius, Petrus Zri-  
nius, Franciscus Frangepanius, de qvibus  
& sociô ejusdem delicti Johanne Erasmo  
Tattenbachio sumtum est supplicium: bo-  
na partim fisco addicta, partim aliis attri-  
buta, nominatim dynastia Reinsteinensis  
devoluta ad Brandenburgicum, tanquam  
Antistitem Principemq; Halberstadien-  
sem, à qvô antehac lege beneficiariâ pe-  
pendit Reliqvæ clientelæ, qvæ ditione Co-  
mitatus Blanckenburgensis continentur,  
ad duces Luneburgicos veros antiquosq;  
earum dominos redierunt: illæ verò pos-  
sessiones, qvæ ad patrimonium domus  
Austriæ pertinebant, eôdem jure titulō-  
qve

que sunt à Leopoldō repetiti. Idoneos  
auctores habeo, istius conſpirationis initia  
Annō M DC LV. cœpta, inde ſenſim  
paulatimque collegiſſe vires, præfertim  
ab Annō M DC LXII. qvō fide con-  
cordiāque maximē opus fuit ad reprimen-  
dos Turcas. Tūm qvoqve Rex Polo-  
niæ multis difficultatibus impediēbatur,  
qvō minis rempublicam discordiis bellō-  
que fessam meliori loco collocaret, si  
qvidem pleraqve Regni negotia tam di-  
ſimiliter tractabantur, ut conatibus  
confiliisqve ejus de reducendā concordiā  
recuperandisqve Podoliæ finibus mini-  
mē eventus responderet. Etenim Do-  
rofzenkus jam eò perfidiæ proceſſerat;  
ut ſocios militiæ manipolorumque di-  
ctores ad ſacromentum Turcis dicen-  
dum impelleret, Tartarosqve ad in-  
cufiones faciendas instigaret atqve ut  
caſtra conjungerent, missis Constanti-  
nopolin nunciis ſolicitaret. Qvippe ali-  
enā calamitate ferocior factus, confiſium  
ceperat Polonici Imperii ex Podoliā exter-  
minandi, qvod lenitate, qvæ ad retinendos  
in

in officiō Cosacos per apta erat, firmari portuisset. Melius cecidit Moschis, quod Razinum, qui maximas turbas excitaverat, per infidias captum suppliciō afficerunt, Regnaqve Asiae, de quibus supradidici, in fidem recepta, ditioni suae rursus conjunxerunt. Atque ita tandem rapinarum, deprædationumqve & cædium immanissimarum ibi finis est factus. Interim Germania futuri solicita, de formulâ sanctionis perpetuæ consultabat, quod tamen ejusmodi est deprehensum, ut propter dissimilitudinem studiorum voluntatumqve Principum confici non potuerit. Ex quo non levis timor subiit, præseruum ubi proximâ finitimaqve spectabantur, nec amplius dubitari poterat, quin bellum pararetur Batavis, commerciis & libertate Regi Galliae invisis, eoque majus periculum adituris, quod in Germaniam hostes pariter & amicos habitui essent, unde non posset non imminere ingens malum. Namqve inter eos & vicinot Episcopos tales quotidiè æmulationes controversiæqve intercedebant, quæ nullam

lam solidam constantemque amicitiam patiebantur. Itaque periculi avertendi & pacis servandæ causâ in Imperii, Saxoniæque inferioris, quæ proxime à discrimine aberat, conventu sedulò delibera-  
tum fuit: capitum, de quibus tractabatur, summa hæc erat: uti coimmuni securitati prospiceretur, militiaeque ratio & modus definiretur: speciatim ut contro-  
versia Huxariensis, quæ superiori compo-  
sitione transigi non potuit, decideretur:  
tum quicquid libertatis legibus, tranquilitati, commodisque publicis, ærario, ve-  
ctigalibus, conficiendæ pecuniae, rei num-  
mariae, constituendisque reipublicæ subsi-  
diis profuturum esset, mature diligenter-  
que curaretur. Post in tractando Hu-  
xariensi negotiô tot tantæque difficultates  
ortæ sunt, ut arbitris ad id expediendum  
delectis multæ molestiæ exhiberentur, quæ  
sic tandem Bilefeldii sunt finitæ: ut Lune-  
burgicum præsidium de urbe decederet,  
civesque & incolæ ejus gratiæ Antistitis  
Monasteriensis, qui eō tempore illic Ab-  
batis munus gerebat, permitterentur.  
Ce-

Ceterum Brunswiga dedere se coacta, jam obsequens erat Principi suo, ad quem jure majorum, à quibus condita acquisitaque erat, pertinebat, et si procedente tempore multis immunitatibus privilegiisque ornata efferre se & propè pro liberâ gerere, Ducumq; civile imperium auctoritatemque negligere cœperat, adjuta dissidiis superioribus, quibus Principes illius familiæ sapenumero distrahebantur. Contra Lubeca ditionis suæ pagos, veteres que possessiones, & Hamburgum quoque libertatem suæ urbis juraque omnia, quibus à potestate Ducum Holsatiæ exempta esset, tabulis à Leopoldo Cæsare summissis tutabantur. Haud minor sollicitudo fuit X. civitatum Alsatia, quæ et si ratione obsequi civilis nemini, præterquam Imperio, obnoxiae sunt, tamen Regi Galliæ lege supremæ præfecturæ Hagenensis, pacto Monasteriensi, salvis tamen Imperii juribus, cessare attributæque alligantur. Itaque ab iis Rex jusjurandum in ea verba conceptum exigit, ut inter eas, & ditioni Gallicæ subjectas urbes, parum

parùm interesse videretur. Eâ de causâ arbitri utriusque partis voluntate constituti, certam formulam conscripserunt, juxta qvam in posterum jurejurandô adstringerentur. Verùm qvia ab Rege Robertus Gravelius cum plenô mandatô ad id negotium perficiendum missus, nil modicum cupiebat, grave id Imperio accidit, resqve hæc infecta mansit. Nam ita jam se firmaverat Rex, ut si juri suo non confideret, consilium à vi mutuari posset, subactâ qvippe Lotharingiâ, & conciliatis stipendiô Helvetiis, contra Austricæ finitimorumqve Principum metum satis superqve munitus, qvando aliâ viâ non satis Alsatiæ suæ cautum provisumqve esse existimabat. Cùm verò hactenus major Europæ pars inusitatos Regis terrâ mariq; apparatus spectaret, tûm inter spem metumqve anceps, insignem conversionem hòc præcipue annô, qvi ad evertendas propè Batavorum res fatalis fuit, expectare videbatur. Præterqvam enim qvòd fœderatum Belgium metu confusum dissensionibusq; conturbatū fuerat, etiam Viennæ &

Ratisbonæ, imprimisqve Mantuæ Carpetanorum trepidatum est, cùm belli Batavis indicti, & regis Angliæ in easdem partes tracti nuncius afferretur: propter eà qvòd Batavi, qvorum fortunæ rei que publicæ inclinatio cum Austriæ Germaniæqve damnō conjuncta erat, ad resistendum erant imparati numeròq; copiarum impares, in qvod periculum venerant partim culpâ aliquot Procerum, qvi magis ad perniciem Auriaci, qvam curam belli defensionemqve finium incumbebant, partim magistratum populiq; mutuis inter se dissidiis atqve dif- fidentiâ, qvæ imperiorum certè pestes sunt, nisi tempestivè evellantur ex ani- mis penitusqve deleantur. At externi hostes ex diversa causa bellum cœperant, nec perinde aliquid grave accidit regi Galliæ, ac recordatio fœderis *triplicis*, Batavorum operâ procurati, qvod eò valuit, ut metu cogitatione qve ejus rex prohibere- tur, qvò minùs labenti in finibus Belgicis Hispanorum potentia vim faceret, no- vamqve calamitatem machinaretur.

Si-

Simul eum stimulabat ira erga popularis reipublicæ libertatem, qvæ more Regum, cupientium Imperia addictiūs parentium, immodica ipsi visa est, præsertim ab eō tempore, qvō utili ad pacem ratione id sibi sumsit, ut victorias viresqve præcipuum Europæ regnum moderaretur, operamqve daret, ut Galliæ Hispaniæqve rationes sic æqualiter confectæ explicatæq; essent, ut neutra ex alterius ruinis parare insignius robur magnitudinemq; posset. Neq; fuit leve odium, qvod erga florētia illius gentis commercia conceptum diu continuuit cui monopoliorum injustitia prætexebatur: adeò ut nil æqvè cuperet, qvām ut institutā apud sūos Indiæ Orientalis societate, utilitates mercaturæ Batavorum iis in Regionibus diminuerentur, & qvoqvō modō impedirentur. Regi Angliæ iniquior Auriaci fortuna, qvā aditus ei ad præfecturam Batavam avitamqve præfecturæ militaris dignitatem præcludebatur, non inter postremas belli inferendi rationes fuit. Injuriæ, qvæ ad Regem remqve publicam spectabant, in hanc senten-

tiam expositæ erant : nempe id propositum esse Batavis, ut frangant debilitentqve Anglorum opes , commerciisqve & coloniis ipsorum vastitatem inferant: docere hoc tot damna , qvæ in utrâqve Indiâ ab iis accepissent : tūm colonoſ ex fœdere restituendos , non modò non in integrum restituifſe , ſed ne ad ſe quidem remiſiſſe , & ſi freqventer etiam interpellati remiſerint , eos duntaxat inopes & paucos rediſſe : præterea adverſus imperii maritimi jus majestatemqve feciſſe , qvando ſuperiori anno classiarchi ipsorum Anglis poſcentibus , ut more veteri vela demitterent , pertinaciter reſtituiſſent , Regisqve antiquum jus & simul honorem labefactaſſent , qvodqve ſatisfactionis præſtandæ admoniti , condições ab Rege latas neglexiſſent , pactio- nemqve Bredæ nuper initam violaſſent , cuius vindicem oporteret eſſet Regem , ut firma perpetuaqve ejus atqve Regni jura conservarentur . Ex adverſo fœderati Bel- gii Ordines affirmabant omnes ſatisfacien- di rationes ſeſe inituros , cupereqve , ut ſu- per

per eō negotiō æqvis conditionibus qvam-  
primum transigatur: de damnō, si qvod  
illatum sit, spondere se paratos ad resar-  
ciendum fore: ablata sine morā impen-  
diōqve reddituros: multa præter spem  
voluntatemqve suam accidisse, qvorum  
nomine purgare se possint, qvæqve e-  
jusmodi sint, ut in posterum emendari  
debeant: Fœderis Parisiensis cum Rege  
Galliae, & Bredani cum Rege Angliæ  
icti magnam semper apud se fuisse reli-  
gionem, & credidisse, navigationem at-  
qve commercia felicissima mansura, si  
pari fide constantiāqve pax servetur. Qve-  
relas de datis acceptisqve damnis effe mu-  
tuas, & si qvid contra fecerint plerique di-  
tioni imperioqve suo subjecti homines, in-  
jussu suō fecisse, semperqve se declarassē  
hunc animum, qvòd fœdera sanctè custo-  
dituri, & si qvid etiam culpā suorum fa-  
tum fuisset, nihil sive reconciliationis, si-  
ve satisfactionis causā recusaturi essent.  
Verūm ea Regis utriusq; indignatio fuit,  
ut parūm abfuerit, qvin liber ille suiqve ju-  
ris populus opprimeretur: Galliæ Rex, præ-

terquam qvòd maritimis Angliæ viribus  
auctus erat, tripartitō quoque exercitu,  
qvem accitis ex Italia, Helvetiā, Angliā,  
Scotia Hiberniāqve cohortibus contractis  
qve Germanorum auxiliis firmaverat, fo-  
deratos Belgas petiit, ac unō mense Junio  
totā penē eorum ditione est potitus. Jam  
qve eò ventum erat, ut omnes propè re-  
bus suis desperarent, qvum captis Clivis  
urbibus atqve arcibus, qvibus fines earum  
regionum aperiuntur, occupatōqve insu-  
læ Batavorum aditu, & interceptō etiam  
propugnaculō Schenckianō, ex qvō uni-  
versi Belgii salus pendet, motisqve in in-  
teriora castris, deditaqve Nardena, Hol-  
landiam intravisset. Ipsum caput pro-  
vinciæ Amstelodamum confusa multitu-  
dine discors, & proceribus subitō metu  
percussis, diffidens sibi sententiisqve pu-  
gnans, in extremum discrimin venit, re-  
gis, ut creditur, imperata facturum, si is  
qvidem Luidovici Condai dictis audiens,  
intermissā Neomagi obsidione, festinatis  
itineribus ad urbem contendisset, & occa-  
sione pariter timoreqve Batavorum ad id

ince-

inceptum perficiendum tempestivè usus  
faisset. Sed tunc primum apparuit, oppor-  
tunitate hāc semel neglectā, omnem posteā  
spem occupandæ Hollandiæ irritam fuisse,  
mirantibus etiamnum Batavis, qvid fuerit,  
qvòd hostis non haberet in cōsiliō fortu-  
nam, neq; occasione , cùm posset, uteretur.  
Sanè autem Batavis, ad ultima tunc reda-  
ctis ista Neomagensis obsidionis mora ma-  
ximè fuit utilis , ut qvafī fatō qvòdam in-  
terposita videri posset, qvā ipsis daretur  
colligendi se spatiū, ne imparati subige-  
rentur, neve redigerentur in externam ser-  
vitutem. Qvod periculum cur pertimesce-  
rent, nulla eqvidem fuisset causa, si qvem-  
admodum memorabili exemplō Modena,  
ita reliqvæ in limite urbes sese ad sustinen-  
dum hostis impetum comparâissent, & itine-  
ra, qvibus Rheni Isalisqve ripæ adeuntur,  
firmâissent diligenterq; custodivissent. Idq;  
illie locorum eò minus difficultatis habet,  
qvòd totus ille finitimarum urbium tra-  
ctus fluminibus paludibusqve clauditur,  
proximumqve Belgium canalibus, & cata-  
ractis, qvibus aqua in subjectum agrum

exonerari potest, abundat, & castris propugnaculisque naturâ & opere firmis continetur. Neque sic tamen evitârunt insidias Gallorum, quippe qui per speciem auxilii contra Antistitem Monasteriensem, superioribus annis Regi Angliae foedere coniunctum missi, omnem ejus regionis faciem interiorem que statum cognoverant, simul & exiguam urbium annonam, debile praesidium, inopiam rei tormentariae, omissas propugnaculorum munitiones, neglectamque rei castrensis curationem exploraverant: multò minus eos celari potuit, quæ tribunorum militumque ingenia & diminutio-nes, quæque cohortium robora & vires es-sent: neque eos fugiebant procerum dissidia atque æmulationes, & grave Regis Angliae vicinorumque Germaniae Episcoporum in eam rempublicam odium, & plures ejusmodi difficultates, populo isti, siquidem externis auxiliis destitueretur, sine dubio, exitiu[m] allaturæ. Erat insuper æstatis ejus anni tanta siccitas, ut fluminum altitudini quoque officeret, tan-taque

taqve fortunæ iniqvitas, ut plerique, per qvos rempublicam restitui defendiqve oportebat, sive largitionibus corrupti, sive repentinô hostis adventu periculi-qve magnitudine perterriti stationes desererent, turpiqve fugâ elaberentur. Nec inter Provincias conveniebat, qvippe qvòd aliquas earum hæc irruptio adeò perturbaverat, ut erga eos, qui cum magistratu erant, odiô suspicione-qve ductæ hostem venientem non coactæ reciperent, qvem arcere aditu reprimereq; potuissent. Multæ enim urbes prius de ditione egerunt, qvam oppugnarentur: Ultrajectum hosti nondum promotis in agrum castris, conditiones obtulit, exemplô cæteris urbibus reiq; publicæ pernicioso. Qvæ dum ibi agebantur, Episcopus Monasteriensis injurias causatus, impressionem fecit in Transfalaniam, castraqve cum Colonense, qui neutrius partis studium præ se tulerat, conjunxit. Utrique enim sperabant tali bellô se recepturos, qvæ Batavi jam dudum patrimonio suarum ecclesiarum erepta, ad illud us-

que tempus malâ fide possedissent: Quæ  
cujusmodi sint, quâque fortunâ gesta fue-  
rint, infrâ dicam. Hispani interim cùm  
pro honore Auriaci, tûm pro salute F.  
Belgii nitebantur, consiliisqye experie-  
bantur, non ignari, qvam propè à  
periculô abfuturi essent, si Rex nemine im-  
pediente illis Regionibus potiretur, qvibus  
occupatis, non possèt esse difficilis ad se a-  
ditus, nec arduum negotium scese oppri-  
mendi. Eâ ergò curâ effectum est, ut qvum  
non esset Batavis, unde se contra Gal-  
lorum incursions tuerentur, auxiliis  
Hispanorum suimmissis, ultimum, qvod  
institabat, periculum declinarent. Alio-  
qvin Auriacô in avitam dignitatem re-  
stitutô, turbidus rerum status auspicatissi-  
mè est emendatus, qvanq; vam initio non  
deerant, qvi multas molestias ei exhibe-  
rent, usq; dum plenam de rebus belli-  
cis statuendi potestatem nactus, amo-  
rem patrociniumq; libertatis efficac-  
iis, demonstraret, & reparandæ popu-  
larium fortunæ occasione promptius ute-  
retur, satisq; motibus & studiis,

ser-

servandæ reipublicæ ducem auctoremque  
providum se præberet. Atque tunc An-  
gliæ rex, magnâ pecuniæ vi ingentibusque  
promisfis in partes Gallicas adductus, irâ  
odiōque ita contra eam rempublicam ex-  
arserat, ut simul ulciscendi superiores  
clades, & constituendi maris imperii  
occasione fumeret, navigationisque ad  
commoda sua dirigendæ potestatem, com-  
merciorumque arbitrium destinaret. Eò  
consilio ad prælium navale omnes res  
præparatæ sunt, qvod Wittenii reputan-  
tes, magis in defensionem oræ maritimæ,  
qvām limitis terrestrem aditum muni-  
entis incubuerunt: perinde ac si cum rege  
Gallia rempublicam terrâ oppugnaturo  
benignius pacisci, aut si fortuna ita ferret,  
ut totus reipublicæ status commutaretur,  
minori suo damno in regias præfecturas  
describi posset: adeo & vindicem Auria-  
ci Anglum, & eversorem suum timebant.  
Itaque classi, in qua omni spes poneba-  
tur, Michael Adrianus Ruyterus, cuius  
tunc præcipua rei navalis gloria erat,  
cum summō imperiō præfectus, contra

duos Reges fortunâ diu accipiti viribus-  
que propè æqvatis pugnavit, sed qvia  
ipsi non erat integrum, divellere junctas  
classes, & frangere earum distrahere-  
que robur, ad Seelandiæ littora se re-  
cepit. Fama tulit, eô tempore Anglos,  
qvia acrius urgebant, in continentem  
facturos excensionem, nisi eos coorta  
tempestas, disjectis impetu navibus, de  
proposito dimovisset. Tum vero id sa-  
luti Batavorum maximè profuit, qvòd  
Galli, qvi Anglos in ære suô esse gloria-  
bantur, non paruadore invaderent Bata-  
vos: nec totis viribus congrederentur, po-  
tiùs diffidentiâ qvâdam & occultâ invidiâ  
erga Anglos, qvâm metu erga hostes, qvos  
ipsis non expediebat, redigi in Anglorum  
potestatem. Sub id tempus apud Lusita-  
nos res consiliaqve pacata erant, fœdus  
cum Batavis integrè servabatur, nisi qvod  
Regem Galliæ vindictâ ardenter ad ur-  
gendum cœptum disturbandaqve ejus  
nationis commercia per Legatum Parisios  
missum instigârunt, qvia è re sūâ id fore  
ducel ait, ut potentia eorum labefacta-  
re-

retur. Nam qvo minus contra Hispanos aliquid molirentur , impediturus erat Anglus, qvi non minoris existimabat securitatem Flandriæ , qvam necessitudinem Lusitaniæ , cuius Regiam potestatem Petrus nomine titulōqve Principis tenebat. Poloni adhuc diversa sequi consilia , de sanandis reipublicæ vulneribus deliberabant , & ut Archiepiscopus Gnesnensis , qvi dissensionum Regno perniciosissimarum auctor fuerat, cum Rege , in qvem multa contumeliose dixerat, & scripserat, rediret in gratiam, allaborabant : fuitqve ex utilitate Regni, ut prīns concordia redintegraretur, qvam Camienicia , inunitissimum Podoliæ castrum , Barbaris dederetur. In Hungaria Protestantium rationes magis magis qve perturbatae sunt, cùm afflictæ eorum fortunæ nova subinde calamitas accederet, & templorum scholarumqve aditu intercluderentur, jureqve sacrorum privarentur. Etsi enim rogandō insistebant, ut privilegia pristina sibi conservarentur, & longi temporis possessione, datisq; superio-

rum Regum tabulis nixi, pro innocentia suâ nihil non movebant, tamen qvidam Pontificii Antistites longè aliam hujus rei expediendæ viam iniérunt, & pleraque templa Gymnasiumqve Posoniense armatâ manu occupârunt.

DANIAE REX bellantium animos & vires cunctandô experiri statutum habuit, contentus observare suum limitem, expectansqve commodiorem bellandi occasionem, qvæ ubi se daret ad propius emolumenntum conseqvendum, eam non prætermissurus videbatur. Atqve eam in partem multæ & Austriorum & Batavorum rationes valuerunt, qvibus tamen ut Rex assentiretur, induci non potuit, posteà verò, qvam Svedi armis Germaniam tentarunt, iis permoveri fese est passus, Reputabat qvidem in animo offensam Ducis Gottorpini, ob judicatam redemptamqve litem Oldenburcicam, & vehementiores Kielmansckii sermones super eō negotiō habitos recogitabat, sed studiō pacis fretus, tunc atis habuit contra fortunæ casuumq; varie-

rietatem consiliis se præmunire. Svedi, ad quos undique legati Holmiam venerant, illo rerum statu ad alterutrius bellantium partis commodum damnumve suis auxiliis permultum posse credebantur: itaque rex Galliarum magno usui fore sibi ratus, si eos superiorum malorum, quæ bellum septentrionoli acceperant, nondum oblitos fœdere sibi adjungeret: quâ in re operam ei navavit Pomponius, fuitque in hæc præcipue capita conventum: ut Svedi sponderent regi Galliarum, si ob hostes insurgentes periclitaretur, aut à fœderatis Batavorum, quales fore Austrios, non vana suspicio erat, omne studium consiliumque, & si opus esset, vires quoque & arma ad bellum tale avertendum, pacemque reducendam allatueros. Id verò amici Batavorum ita interpretati sunt, quasi superiora Germaniæ beneficia tali pacto obscurare statuissent, quippe quod ejusmodi esset, ut iis, qui justâ gravique de causâ in armorum Batavorum societatem venturi essent, propè leges darentur. In Germania plerique Antistites perniciosis im-

perio conditionibus ad infestandos Batavos conducti , auctoritati Cæsar is se se ad finiendam inter ipsos Batavosqve ex ortam controversiam offerentis acquiescere nolebant : qvò fiebat , ut per eos Regi Galliæ aditus in imperium muniretur , horreumqve belli hosti in patriæ finibus constitueretur. Monasteriensis tamen Gallos in Castra ditionis suæ non admisit , sed societatem nihilominus ita arctissimam cum ipsis init , ut dehortationes mandataq; Cæsar is malè acciperet , & cùm antistite Coloniensi argumen ta ac rationes in Comitiis exhiberet , qvibus militiā stipendiariam exprobrans , expeditionis socialis pro Batavis suscep tæ iustitiam accusabat , & si ab Imperiō eā in causā defereretur , circumspiciendum esse sibi externum auxilium , denunciabat . Eratqve tunc ejusmodi Germaniæ status , ut ad perturbationem omnis ordinis jurisqve proxima tunc fuerit via , usuqye didicerit Hispania , haud inutile fuisse Philippi II. consilium , qvod è vitâ migraturus , filio suo de retinendâ

Epi-

Episcoporum Germaniae amicitia dedis-  
set. Etsi enim Coloniensis per se pa-  
cis amans, & ab omni ambitione perni-  
ciosisqve machinationibus remotus erat,  
tamen à qvibusdam Batavo nomini  
infensis instigatus, bello Gallico se im-  
plicavit, ita tamen ut expectare inju-  
riam, qvām inferre mallet: qvæ occa-  
sio postqvam data est, non defuerunt,  
qui dicerent, adventāsē nunc tempus,  
qvō ultiōnem multis annis in animō agi-  
tatam proferre perficereqve possent. E-  
rant autem ii pensionibus, qvas alibi spe-  
rare non fuit integrum, Gallis maximē ob-  
noxii, qvi mos, ab Ludovicō XI. traditus,  
hodierno Regi magnopere profuit, qvām  
dandis beneficiis, Regna Principatusqve  
studiis divideret, iisqve artibus ad au-  
gendam latē potentiam uteretur. Mona-  
steriensem imprīmis pungebat, qvōd, ut i-  
psi id qvidem videbatur, Batavi cūm in ali-  
is rebus, tūm in causā præfecturæ Borculo  
secum iniquè egissent: proinde ejus repe-  
tendæ neqve jus, neq; fortunam sibi deesse,  
qvando Batavi pacis Clivensis condi-  
tio.

tiones non servâssent : putabat autem jam pridem ab se liqvidô esse confirmatum, qvod Borculo dependeat à jure ecclesiæ Monasteriensis , sitque beneficium solis maribus attribuum, qvòd extincto sine prole virili Justo, Comite Bronchorstii & Dynastâ Borculonensi, qvod anno cIɔ Iɔ LIII. accidit, ex capite caduci in plenam ejus ecclesiæ potestatem, simul que possessionem redire debuisset : qvam cur recuperare non potuerit, stetisse per F. Belgii Ordines , qui patrocinio suo pro Irmerdâ Limburgi Comite annixi effe- cissent, ut pro ea in curia Geldriensi sen- tentia diceretur. Ex adverso Ordines affirmabant, beneficium Borculo sine di- scrimine sexus ad familiam primi acqui- rentis pertinere, & cum ea res in judici- um vocata fuerit, judices delegatos nullô odiô studiôque ductos pronunciâsse: con- stare enim ejus litis decidendæ rationem ex tabulis beneficiariis, ex qvibus jus ad istam dynastiam utriqve sexui commune intelligatur, qvòd mortuô sine liberis maribus Justo, ad nullum alium de- vol-

volvi potuerit, qvam ad proximam ejus cognatam Irmgardam: qvippe qvæ in eā succedendi conditione semper manferit, & jus ratione ejus dynastiæ qvæsitum sibi eripi adeò non passa fuerit, ut qvoqve per latam sententiam in omnium bonorum lege beneficiariā à Justō cognatō relictorum possessionem venerit: Adhæc dynastiam non finibus diœceseos Monasteriensis contineri, sed à tempore quadringentos annos excedente juribus Geldriæ fuisse obnoxiam, atqve adeò litem super illā agitatam moribus institutisqve Geldricis convenienter in curiā ejus regionis decidi oportuissē: qvare prolatæ sunt antiquæ literæ, editaqve instrumenta publica, qvibus confirmatum est, eam dynastiam semper fuisse partem Geldriæ, & non modò non inter dynastias imperii, sed ne inter portiones qvidem diœceseos Monasteriensis numerari posse. Sed ubi Christophorus Bernhardus Episcopi Monasteriensis dignitatem est consecutus, curavit, ut super eā controversiā tanquam ad finis illius diœceseos pertinente

co-

cognosceret tribunal Spirense : inde ergo perlatum est mandatum in hanc sententiam , irrita essent superiora acta , desisterentqve inceptō , qvi turbāscent in jure Episcopum , ac eō nomine ad dicendam in Senatu Imperii causam teneri se existimarent . Verūm Ordines ob separatas juris reiqve publicæ rationes non committebant , ut super eō tractu , qvi extra limitem Imperii situs esset , leges sibi ferrentur , cuperentqve nihilominus , utlis , qvæ turbas in posterum excitare posset , sine morā & confestim amicā compositione terminaretur . Sed qvia Episcopus jure , qvod sibi eā in dynastiā tribuebat , cedere noluit , contra Ordines generales F, Belgij universē & Geldriæ sigillatim censuerunt , non deserī posse Ottonis Comitis Limburgi causam , Episcopus Anno cIc lcc LXV. arma corripuit , qvibus ex formulā pacis Clivensis , alterō pōst annō depositis , nunc iterum ope consilio qve Gallicō subnixus , & rationibus , qvas statim commemorabo , inductus belli fœderatis Provinciis inferendi occasionem cepit ,

pit, & qvasi jura legesqve imperii convellerent, exprobravit, minimè oblitus, qvid antehac qvoqve in causâ Lichtensteinianâ sibi accidisset, & qvemadmodum in obeundô munere, qvod Cæsar mandaverat, impeditus fuisset. Simul eum multa alia injustè admissa, qvorum titulum expeitioni præferebat, vehementer commoverant; eò qvòd ex litteris interceptis cognovisse se diceret, peti famam, existimationemqve & libertatem suam, qvando Batavi fidem suorum rum teritâssent & rerum consiliorumqve suorum administros corrumpere, in animo habuissent, hominesqve etiam suæ ditioni obnoxios ad audendum res novas instigâssent, qvin & vitæ suæ insidias struxissent, nec mediocre damnum agro suo intulissent: ad hæc dimissos ab se cursores, custodesqve corporis violâssent, itemqve jura finium suorum invasissent, & controversiam de effodiendis in limite cespitibus non æqvis conditionibus terminâssent: præterea qvòd dissidia, qvæ citius extingui potuissent, inter se atqve duces Lunebur-

burgicos fovissent, tum quod Comitis Benthemensis uxorem ac liberos, contra quam deceret, in fidem patrocinii sui accepissent, hisque rebus non modo voluntatem a se aversari, verum etiam hostile odium declarassent. Jamque Batavos praesidiis de urbe Monasteriensis deducti altera vice pœnitiebat, quod videbant, summum ex finitim isto episcopatu periculum sibi imminere, quum episcopus monitus rogatusque, ut saltem medium se partibus præstaret, omnes rationes obtestationesque studio partium Gallicarum & vindictæ cupiditati posthaberet. Tum vero ei haec expeditissima videbatur via suorum & imperii finium opportunè augendorum lateque promovendorum: nec deerat ratio firmandi sacros Ordines, quorum dignitatem convelli a Batavis, & commoda interverti, crebræ multæque inter finitos episcopos querelæ audiebantur. Idcirco facilè existimabat Monasteriensis, dari sibi spem occupandi urbes trans Isalim, Amasumque sitas, & speciosò etiam pretextu bene merendi de

de imperio, cui magno usui ornamen-  
toque futurum esset, si Daventriam  
Transfalaniae caput, & Swollam Cam-  
posque in potestatem suam redigeret, &  
cum ditione imperii societateque libe-  
tarum urbium, ad quas antehac perti-  
nuerint, denuo coniungeret. Neque  
aliam sibi mentem esse declaravit Colo-  
niensis, qui eodem tempore, quo plures po-  
tentioresque hostes in F. Belgii respublica-  
cas armati erant, confidebat, non diffi-  
cilem sibi fore recuperationem Rheno-  
bercæ, quæ antiquo jure adjuncta est  
ad fines Archiepiscopi Coloniensis: si-  
mul ei in mentem veniebat Trajecti ad  
Mosam, quæ urbs quod pro rata parte  
jurisdictione episcopi Leodiensis contine-  
tur, offendit occasionem dederat. Præ-  
terquam enim quod amplissima archiepi-  
scopatus Coloniensis dignitas multum im-  
minuta est, ex quo Philippus II. conditis in  
Belgiis novis episcopatibus, detractam illi  
juris metropolitani partem contulit in ec-  
clesiam Traiectensem ad Rhenum, olim  
Coloniensi obnoxiam, Batavi quoque præ-  
textu

textu collocandi iis in finibus præsidii Rhe-  
nobercain Trajectumque Mosæ adjacens,  
ad firmandos regionum suarum aditus sibi  
subjecerunt. Qvod cùm Archiepiscopo  
Ubiorum viribus & potentia valido, atque  
ab aulicis in ultionem accenso, ac nuper  
etiam ob tentatam arcem Rochettam ir-  
ritato grave esset, neque ipse, neque ii, qui  
ipsum antecesserant, superioris belli Hi-  
spanici ullam culpam sustinerent, auspi-  
ciis regis Galliæ arma sumpsit, copias-  
que ejus & fœderati episcopi Monasteri-  
ensis adjuvit. Perinde ac si hæc & ac-  
cipiendæ satisfactionis, & constituendæ  
securitatis ratio esset, ut Batavi summis  
viribus oppugnarentur, insitaqve genti  
cupiditas, & diteſcendi ſtudium licentia-  
que Principibus odiosa ac permoleſta re-  
primerentur, ut eō qvidem tempore  
passim adverſi in eos rumores vulgari  
cœperunt.

Interim reliqui Principes expeſta-  
bant, qvò res hæc evafura. effet, Saxo-  
que fidei & constantiæ ſuæ fructum in  
annum ſeqventem differebat, Branden-  
bur-

burgicus autem cùm defensionis finium suorum causa, tum inductus ab Hispanis, qvi consiliis viribusqve pro salute Bata-vorum laborabant, Cæsarem, cuius & dignitas, & utilitas eō in negotiō verfa-bantur, societate expeditionis sibi con-junxit, copiasqve versus Rhenum duxit, & necessitatem hujus profectionis, Cæsa-risqve mandata præferens, finitos Prin-cipes rogavit, uti omni ope consilioqve se juvarent. Id verò plerique eorum sic acceperunt, qvasi nimium esset, qvod illō dubiō periculosoqve temporum sta-tu postularetur: siqvidem grave maxi-miqve momenti hoc institutum esset, qvip-pe qvō bellum externum facile transferri in fines suos posset; de cætero qvod sui sit officii, non esse prætermissuros, idqve con-silium & rationem putare conservandæ pa-cis, & periculi à communi patrià aver-tendi. Eandem in sententiam rex Sve-dorum scripsit, ab inceptō dehortatus, qvippe qvod ejusmodi esset, ut in eō Ger-maniæ salus versaretur: alioqvi se non de-futurum studio pacis, neq; ulli operæ par-citu-

citurum, qvò reconciliatio pacis fiat: qvæ difficilior futura sit, si res eò deveniat, ut armis decernatur. Qvō tempore apparuit, qvantí res periculi fuerit, proficisci contra regem finitimorum gratiâ viribusqve suis fultum, & discordantibus patriæ consiliis illuc proveatum, ut arbitria rerum Germanicarum captaret, vicinosqve metu & beneficiis contineret, & pacis conditiones fortunâ sua metiretur. Qvare cùm à Maguntinô, Palatinô & Trevirense, arma Gallica declinare cupientibus, transitu prohibetur, necessitate coactis, Westphaliā intravit, cum ut Gallorum vires porrò distraheret, Batavisqve per se defensioni non sufficiūtis ex fœdere opitularetur, tūm ut Episcopos Gallicarum partium ad officium reduceret, urbesqve Cliviæ interceptas, ex qvibus tutela propugnatioq; finium pendebat, recuperaret. Simul ita è periculō erepta est Colonia Agrippina, per cuius latus F. Belgium petabatur, qvùm hostis ea omnia tentarer, qvæ ad occupanda Rheni itinera proderant aditumqve mu-

muniebant, qvod si conseqvi potuisset, non melior fuisset fortuna ejus urbis, unde Westphaliæ pariter Belgiiqve securitas Rheniqve præcipue commercia, qvibus magnæ illuc opes importantur, nervos spiritumqve ducunt. Id verò molestissimum accidit regi Galliæ, qvi priusqvam movit in Belgium, affirmavit, vereri se, ne per Germanos impediatur, qvò minus tantus belli apparatus eò, qvò optet exitu terminetur: qvando intelligebat, non ferre Germaniæ rationes, ut ruentis ad interitum Belgii curam defensionemqve omittat: cumqve eò spectaret Cæsar & socii Principis consilium, passim questus est, eos cùm intra fines suos se continere potuissent, bellum simul & injuriam sibi inferre: verti autem in eò negotiō honorem & pacem imperii, in qvod adeò nil hostile moliatur, ut quoqve cum eò amicitiam servare cupiat: postulare ergo, ut bello externo & ad ipsos non pertinenti se non immisceant, copiasqve domum reducant: non esse, cur sibi à suis armis timeant, qvæ in Belgas, non in Germanos

nos ferat. Qvæ qvòd speciem juris habent, ejusmodi visa sunt plerisqve futuri ignaris, ut putârint in iis postulatis omnino esse acqviescendum. Verùm hi altius, qvid destinaretur, perspicientes, multis & gravibus rationibus docebant, per regem stare, qvò minius pacis beneficî frui posint: siqvidem is Germaniam invaserit, & Westphaliae insignem partem occupaverit, deqve auctoritate Cæsarî & juribus Principum deminuerit, & Germanicæ ditionis populum multis calamitatibus affixerit, Cliviamqve & finitimos tractus hostilem in modum vexaverit, qvæ cùm si non sint, rerumqve testimonia extens, hibi fuisse causam, cur in communî periculâ arma conjungerent, libertatemqve patriæ contra vim injuriasqve tuerentur. Contra hos tum expeditis copiis contendit Turainius, & viis passim occupatis, ipsorum destinationes, qvas sæpè per indicium cognoverat, antevertit, nec modo invadendi se opportunitatem præripuit, sed etiam multis incommodis affecit, & ob annonæ inopiam consistere

non ausos ad receptum adegit, supplementisqve firmatus totum ferrè Marcæ Comitatum insedit. Præter alias difficultates id etiam Cæfareis atqve Brandenburgicis impedimento fuit, qvòd ratio exeqvendi consilii militaris non ex unius arbitriō pependit, rumoresqve ad foventam dissidentiam callidè ab hostibus dissipati sunt, & Germaniæ in concordiam redigendæ exigua spes apparuit, sociiqve sæpe sententiis in diversa abierunt. Cùm hæc fierent, Svedi magnopere annitebantur, ut Brandenburgic9 à societate militiæ Cæsareæ abstraheretur, qvod si non recusaret, affirmabant futurum, ut utilibus sibi conditionibus pacem pacisci possit. Id postqvam evenit, res Germanica in majus periculum deducta est, propterea, qvòd hostis, qvi ad distinendas ejus militiae vires plurimum poterat, regi Galliæ reconciliatus fuerat: mox enim, ut erat moræ impatiens, alias ex aliis res aggressus, Trajectum ad Mosam, unde in Hispanorum fines impressionem faceret, ad dditionem compulit, levibusqve de causis exacerbatus, Electorem Treviren-

sem nihil hostile expectantem, fideq; suā  
innoxium adortus, agrum ejus diripuit,  
urbesq; occupavit, & magnam vasti-  
tatem fecit. Nec melius posteā cum  
Palatinō actum, cuius regiones rapinis,  
cædibus, incendiisq; sunt fœdatæ, qva-  
rum populationum injuriarumq; nulla  
alia fuit ratio, qvam qvòd imperata non  
facerent, Cæsariq; fidem præstarent. Facile  
tunc intelligi potuit, id eò fieri, ut prostra-  
tō principatum Westphalicorum Rhena-  
norumq; robore, via ad cæteros oppri-  
mendos muniretur, Germанияq; de præ-  
sidiis dejecta, ad externum obsequium sese  
inclinaret. Jam verò magis in spem pro-  
pugnandæ libertatis ergebantur Bata-  
vi, qvòd Groninga obsidionem sum-  
mā cum fortitudinis laude sustinebat, ho-  
stiq; crebris tormentorum ictibus mœ-  
nia verberanti constanter resistebat.  
Custodiæ urbis impositi erant Dux Plo-  
enensis, Rabenhauptius & Sickinga, qvi  
qvantā potuerunt diligentia, munitio-  
nes confestim instaurarunt, clausoq; ve  
portu & apertis cataraçis, sua cuique  
ad

ad defensionem munia tempestivè distri-  
buerunt: Opportunè etiam curabat Au-  
riacus, ut annona instrumentumqve bel-  
licum adveharentur mari, laborantiqve  
urbì inferrentur. Eam summis viribus  
oppugnabat Monasteriensis, & magnâ vi  
pilarum fragoreqve tormentorum obse-  
sis terrorem detrimentumqve inferebat:  
sed militum pariter civiumqve constan-  
tiâ effectum est, ut hostis, qvi deditâ Co-  
vordiâ, qvâ aditus in Frisiā occiden-  
talem erat patefactus, nihil minus, qvâm  
discellum cogitabat, obsidionem solve-  
ret, ac ingenue confiteretur, vel in u-  
nô oppugnationis Groningæ discrimine  
plus militum suorum periuisse, qvâm totô  
illô tempore, qvô ante Daventriam,  
Campos, Swollam, cæteraqve ejus ditio-  
nis oppida in armis fuissent. Qyibüs re-  
bus nomen ei urbi apud omnes maxi-  
mum est conciliatum, ab eôqve tempore  
fortuna plus incrementi rebus Belgicis at-  
tulit, præsertim cum in extremô hujus an-  
ni Covordia qvoqve recuperaretur, cuius  
superior jactura Frisiis peracerba fuerat,

qvòd sine eâ ne Groninga qvidem extra  
discrimen foret, qvæ ubi de consiliô Caroli  
Rabenhauptii recepta est, Frisia rationes  
suæ securitatis confectas habuit, resqve epi-  
scopi insigniter sunt conversæ. Utebatur Ra-  
benhauptius opportunitate hyemis, dura-  
tisqve glacie plaudibus: milites in qvinque  
centurias eqvitum, & tres defultoriorū di-  
stributi, & scalis, malleis, ligonibus, omni-  
qve re tormentariâ instructi ductore Ey-  
bergiô ad occupandum castrum armati  
tendebant. Vix Dalenam ventum erat, cùm  
audiunt, de conatu suô Covordiam perla-  
tum esse: nec tamen propositô absistunt, sed  
pleni spe ingrediuntur, omnia ad facien-  
dum impetum comparantes. Tribus diver-  
sis partib, castrum oppugnari placuit, qvæ  
audacia ipsis benevertit, qvando obscurô  
nebulosôqve aëre adjuti, fossam ruptâ  
glacie impeditam superantes, partim ef-  
fractis summâ vi portis in urbem irrue-  
runt, partim admotis scalis vallum con-  
scenderunt, & factâ inde impressione ca-  
stellum munitissimum expugnârunt. Si-  
mul ibi magnus instrumenti bellici appa-  
ra-

ratus est repertus, parique fortunâ omnis illa pecunia, qvæ ab hostibus coacta illic asservabatur, in Frisiorum potestatem venit, unaqve toti F. Belgio ejus occupacione castris felix omen datum, omniesqve spes reflectendi in Frisiâm itineris episcopo atque sociis ejus præcisa est, qvippe qvorum consilia isthæc expugnatio in solidum perturbavit.

1673. Cùm redactis in concordiam animis, & receptis felici navigatione viribus, & constanti societate amicitiaqve Cæsarî denud firmatis rebus, Batavorum potentia quotidie cresceret, Hispanorumqve de eligendis belli socialis partibus certa fixaque sententia esset, initium nunc à pacis consultatione ductum est, spe qvidem specieqve lætum, sed inane eventu, qvando majore utrinque apparatu nova & acriora odia conflata sunt, qvibus amovendis, se se offerebant Svedi, auctoritatemqve suam conciliationis causâ interponebant : sed primô statim in congressu legatorum est animadversum, Hispanos certum socialeqve bellum malle, qvam per-

niciosa dubiamque pacem, præcipue cum inter ipsos Batavosque fœdus par metus ratione ictum fidele firmumque es set, Cæsarque officium conservandi impe rii, propugnandæque pacis Westphalicæ, & seqviorum pactionum, Clivensis, cuius ipse sponsor erat, itemque Aqvisgranen sis, quam propter regiones Burgundi cas negligere non poterat, consilium fi demque præstaret, jamque in eō esset, ut hostis conatum, qui ad opprimendum Bel gium diripiendamque Germaniam specta bat, constanter & serio coniberet: qui bus rebus Batavi firmitatem & robur mi litiæ, momentumque suæ causæ apud Ger manos sperabant. Ad id negotium per ficiendum missi sunt ab Svedorum rege Ca rolô XI. Comes Tottius, Baroqye Sparri us, viri usu multarum rerum insignes, qui bus adjunctus est Ehrensteinius, cuius dexteritas in tractatione reipublicæ patriæ multis quoqve modis perspecta fuerat. Ii delati in Belgium, pacis recuperandæ de siderium, qvō rex suus teneretur, expo nebant, & egregiam ejus voluntatem stu dium-

diumque laudabant, ut quem deploratus belli status, & maximæ innumerabilesque calamitates quæ ab illô tanquam fonte promanarent, valde tangérent, ejusque rei causâ mandata accepissent, ut sociatis consiliis operam darent, quò hujus deliberationis felicem exitum expedire possent: quod quin futurum esset, non dubitare, si Batavi parem operam conferrent. Tottiis ut instituti rationes conficerent, in Galliam post abiit, regique moderandi animi compositionisque auctor esse voluit, ut priusquam tota Germania commoveretur, Principesque alii traherentur in partes, pax confecta esset. Batavi haud ignari morum regis; qui nil modicum concupisceret, comiter præfati, placere sibi hoc institutum, promtos paratosque ad pacem animos declarârunt, siquidem ita fœderatorum suorum rationes ferrent. Qvod eò pertinebat, ut intelligerent, prius de pace agi opportuisse, quam novò fœdere cum Austriis se conjunxisserit, à quibus nunc recedere sibi non foret integrum, qvod communis illorum consensu eam ad

rem in posterum opus esset. Qvare rerum periti censuerunt , opportunitatem faciendæ pacis non fuisse omittendam, cùm imperium adhuc esset discors, Brandenburgicusqve pactione regi reconciliatus, Cæsarisque exercitus ab eō sejunctus & absens, & occupatō Trajectō ad Mosam, finitimi principes perturbati , præsentissimoqve periculo expositi, Cæsarem, demonstratis ejus belli difficultatibus, semel iterumqve interpellarent, ut bono publico patriæ, de sententiā expeditionis alterā vice fuscipiendæ dimoveri sese pateretur. Sed qvia tam dura regis Galliæ postulata erant; ut Batavorum rationibus planè adversarentur, neqve probari eorum fœderatis possent, neqve Germaniæ tutta viderentur, Cæsar armorum suorum necessitatem multis rationibus ostendit, Bataviqve à spe cogitationeqve pacis averti cœperunt. Cùm verò de loco compositionis instituendæ consilium haberetur, post multas utrinque disceptationes delecta est Colonię Agrippinā, Gallis quoqve hoc tribui sibi cupienti-

entibus, ne refragantibus Batavis, & ultro cedentibus Hispanis, ne suspectos se de morâ redderent, neqve regi Galliæ studium pacis præ se ferenti, nimis obniterentur, cuius ad hoc tempus dubiâ amicitiâ frui expediebat, donec Cæsaris exercitus finibus Belgii appropinqvaret, castraqve cum ipsorum atqve Batavorum copiis conjungeret. Ibi statim postulatum Gallicum de Austriâ à pacis negotiô sejungendâ à fœderatis rejectum, ne idem ipsis, qvod Brandenburgico, usu veniret, qvi speciosè perswasus a societate belli discesserat, ex qvo hosti animus crevit, majusqve periculum sociis, damnumqve patriæ est illatum. Pari constantiâ pro tempore & dignitate suâ oblatas inducias repudiaverant, & socialis belli conscientiâ nil sine Austriis pacisci se posse testati, plus fiduciæ ex justâ belli causa fortunâqve proximè instauratâ sumpserant, qvando duobus præliis mari commissis pro patriâ fortissimè pugnaverant, classeqve ex Indiâ feliciter advectâ pecuniæ in sumptum belli suppeditandæ

nerum receperant, Saxoniæ & Franciæ Orientalis principes in Cæsar's partes inclinatos congnoverant, qvippe qvorum studiō societateqve ad auctoritatem & vires Austriae permagna fieri accessio posset. Priusquam vero Coloniæ Agripinæ de pace & conciliatione ageretur, Cæsar legatis eò venientibus de securitate cavit, & dimissō Batavorum præsidio, qvod El. Coloniensi grave, suspicuumque fuerat, cohortem Granianam urbi imposuit, non abnuentibus vicinis Westphaliæ Principibus, qui suâ & imperii causa ita fieri cupiebant: eò magis, qvod id non ad cujusquam injuriam damnumve, sed ad avertendum periculum pertinebat: in qvam sententiam ejus urbis Senatus literis ad regem Galliæ Angliæ & qvæ perscriptis de suspicionibus sese purgavit, & qvod istud institutum ad præsidium suæ libertatis, neutiqvam vero ad vim cuiqvam legatorum faciendam dirigeretur, affirmavit. Igitur acqvierunt exteri reges, & Svedis id hortantibus assensi sunt, qvod judicarent novos Cæsar's appara-

ratus pacis consilia perturbaturos si constitutum conciliationi locum recusassent. Cum enim Trajecto ad Mosam expugnatō, regiones Hispanorum peterentur, periculumque immisso in agrum Trevirensem milite, finitimiis Rheni superiori provinciis impenderet, bellumque jam in Germaniae viscera transferretur, intelligebant, eum minimè neglecturum injurias Principum, neque commissum, ut sua & imperii auctoritas impune violaretur, quod nuper acciderat, quum Christianissimus rex nullā imperialis decretorum ratione habitā, prohibuerat, quo minus pons Argentoratensis, qui jussit quidem ejus interruptus fuerat, reædificaretur. Sed non diu ibi de pace tractatum est, quando Galli mox palam & aperte questi sunt, Cæfarem, sancto legationis nomini illusisse, quod dedisset mandatum comprehendendi Principis Gvielmi Egonis Fürstenbergii, cui tanquam El. Coloniensis legato liber securusque commeatus promissus fuisset: eadem fuit sententia Anglorum, com-

munes hujus querimoniæ rationes habentium, quod contra fas gentium admisisset Graniæ miles, dum Principem in mediâ urbe adortus, & libertati ejus urbis, & dignitati Principis, & juri legationis per se inviolabili vim fecisset: neque eò secundis exaggerabant Galli, quod pecuniaæ sibi interceptæ rerumque aliarum, quæ ad legatos pertinerent, restitutio toties & omni jure expetita iniqvè denegaretur. Ut cuncte autem sumptus est prætextus dissolvendi ejus conventus, totum certè istud negotium legatos Svedicos valde sollicitos habuit, planèque conturbavit, qui cupiebant exequi regis sui mandata, pacisque rationes confectas dare: ideò quod verebantur, nè si repentina fortunæ mutatio accideret Gallis, ea suò cum damnò conjuncta esset, quum præviderent, ancipiti rerum statu parùm opis amicitiæque sperari posse à Germanis, qui Austris ad repellendum Galliæ regem se conjungerent prorsusque conspirarent, pari id periculo sibi putabant fore. Neque dubitabant, quin F. Bel-

gæ ad pacem durioribus conditionibus  
oblatam adduci sese paterentur, si spes  
auxilii Austrii eos destituisset: quasi neim-  
pe hoc ibi fixum destinatumque esset, ut  
renovatō fœdere, sine qvō Belgæ non-  
dum erigere se poterant, animi eorum,  
recente alioqvi militis Luxemburgiani in-  
juriā penitus abalienati, ad resistendum  
magis obfirmarentur, Gallorumque ni-  
miæ & invisa vires, data hac opportuni-  
tate, alienis opibus collatisque sumptibus  
frangerentur: præcipue qvum id usui fu-  
turum esset Hispanis, qvippe eō in li-  
mite succubituris, siqvadem armis socio-  
rum ipsi non adjuvarentur. Eō in statu  
Cæsar parūm tutum ratus, Gallis fidere,  
cūm existimationis suæ, tūm communis  
securitatis, qvæ prostratō Belgio haud  
retineri posset, rationes inibat, propte-  
reā qvōd miles Gallicus, contrā qvām  
ab rege promissum fuerat, Mosellæ tra-  
ctum percurrebat, progressusque in a-  
grum Trevirensem latè omnia vastabat,  
& ne templis qvidem ac rebus sacris par-  
cebat, adeo ut Romanus Pontifex

qvo-

qvoqve id permolestè ferret, miserâqve  
Trevirensis fortunâ se commoveri pro-  
nunciaret. Jamqve mansuetudinis suæ  
pœnitiebat Cæfarem, cùm videret spem  
pacis, qvam reductis in hæreditarias pro-  
vincias copiis animo conceperat, insi-  
diosis Gallorum consiliis eripi, aucto-  
ritatemqve suam in sacrô imperio maxi-  
mam convelli. Fuitqve hoc ejusmodi,  
ut Germania novo periculo objiceretur,  
cujs liberandæ hæc una via ipsi se osten-  
dit, ut arma pacis causa intermissa repe-  
ret, & dimissò ad Svedorum regem A-  
dolpho Uratislaø Sternbergio, injurias  
sibi & patriæ illatas quereretur, simul-  
qve pro juris necessitudine & fide, qvâ  
Rex Svedicus Germaniæ innexus esset,  
hortaretur, ut inclinatis rebus subveni-  
ret: qvandoqvidem multæ sint causæ,  
cur affirmare debeat, Gallos id hactenus  
agere ut se pacis simulatione decepto,  
oppida pagosqve Germanicæ ditionis  
occupent immaniterqve vastent: qvòd eò  
minus per supremam suam dignitatem  
Cæfareumqve officium pati possit, qvia  
Ordì-

Ordinis sacri principem electorem, pacatum licet & imperio obsequentem, non aliâ de causa infestâssent, qvam qvòd opem suam atqve auxilium contra iustam vim implorâsset. Qvæ legatio etsi credita est fuisse injucunda, qvòd ejus belli, qvod Svedi terminari cupiebant, persequendi causas contineret, spectaret qve ad coarguendam Blumii audaciam jactatasqve liberius in Comitiis Ratisbonensibus voces, tamen non poterant diffiteri culpam & indignitatem factorum Gallicorum, qvæ indies fœdis quoqve populationibus & omni crudelitatis genere cumulabantur. Id verò per honorem susceptæ à se conciliationis amoremqve tranquillitatis publicæ rogare non dubitabant, ut Cæsar ultionem charitati patriæ condonaret, & leniorem viam rationemqve seqveretur. Eandem in sententiam hortabantur Bavarus, & Neoburgicus, rati inutile & periculose fore, si Cæsar propter fœderatos Belgas, qvorum rara ac prope nulla in imperium beneficia extarent, incerti belli

belli fortunam periclitaretur : cùm reputare secum posset, qvàm proclive sit Gallis majori impetu invadere Germaniam, incursionibusqve vexare. Contra Cæsar sumpta ab se justa arma caufatus, sæpeqve Gallicis pollicitationibus delusus, pro jure imperii & auctoritate suâ tuendâ stabat, & nisi eô nomine sibi reiqve publicæ Germanicæ satisficeret, perqve vini & injuriam capta restituerentur, bello se repetitum significabat : simul & principes monebat, uti omni studiô se juvarent, qvi noscire non possent, honorem salutemque patriæ in eõ verti : deinceps cur postulatis de Fürstenbergiô è custodiâ dimittendô concedere non posset, Anglis Svedisqve pariter indicabat : qvippe qvem nunquam in locô ac numerô legati habuisset, neqve ut haberet, ullâ juris ratione cogi potuisset : propterea qvòd is fuisset, qvi hoc immane perniciosumqve bellum suis consiliis concitatâisset, cuperetqve, etiamnum id morâ & machinationibus trahi, & officii, qvod sibi patriæqve debet, clientelæqve etiam, qvâ ab se tanquam

quam Archiduce Austriæ & perpetuô dominô beneficiariô penderet, indigno prorsus maloqve exemplo oblitus fuisset. Qvare eum Principem nemini, qvamlibet medio partibus, saltem seqvestris fide servandum tradere volebat, jamqve in expedito erat intelligere, quid causæ esset, cur Batavi in renovati fœderis fiduciam erecti, nil contrâ sentirent, unâqve postularent, ut senior dux Lotharingiæ Carolus fide publicâ ad conventum Coloniensem admitteretur, qvod tunc quidem a Gallis obstinate recusatum est, etsi Vindobonæ Esaias Puffendorffius pro eò, ac poterat, persuadere annitebatur, regem Svediæ effecturum, ut postulato Cæsar is eā in re tandem daretur locus, siquidem is in causâ Fûrstenbergii facilem se præbere, restitutioniqve ejus annuere vellet. Qvod ubi impetrari non potuit, Galliæ Angliæqve reges retardati pacis negotii culpam in Austrios contulerunt, legatosqve rebus infectis discedere jussérunt. Svedis id post aliquanto non modò nullam utilitatem attulit,

sed

sed etiam invidiam auxit , qvasi non omnes eas , qvas potuissent , difficultates removissent , qvi tamen de eō se purgabant , præcipue & apud F. Belgas testabantur , in susceptis ab se conciliationis partibus nil qvicq; de officio ac diligentia sese remisisse : qvin per internuncios , nominatim per Eduardum Ehrensteinium palam aperteque confirmabant , hoc se studuisse semperque proposuisse , ut paci , quantum in se fuisset , consulerent , & qvisque rationibus dissidia sopirent . Compertum habeo , Svedos , cum intelligerent , quid difficilibus illis postulatis eventurum esset , neque approbasse sententiam Gallicam , & fideliter admoruisse , uti Rex Christianissimus esset moderatior , eoq; se induci pateretur amore pacis , qvam rejecto , qvod Cæsar's nomine oblatum fuerat , armistitiū , impedivisset , multaque contra pacem Westphalicam fecisset , qvæ non possent iusta haberī , essent nihilominus talia , ut transigi celeriore pace possent . Cumq; non ignoraret Cæsar , dirigi hoc præcipue ad Fürstenbergium ,

gium, cui simpliciter dari veniam cuperet Galliae rex, pro vero affirmatum est, eum per speciem repudiati hujus postulati, libenter arripuisse occasionem solvendi Coloniensis conventus, eò qvòd mallet cœptum pacis negotium esse infestum, qvām committere, ut Lotharingus, qvantumvis suō & imperii nomine injuriam passus, perqye vim ducatu exutus, fide publicā ad socianda pacis consilia admitteretur. Qvod cùm per se iniquum esset, tūm Hispani, qvid sibi instaret, prævidentes, regis ejus potentiam pertinaciamqve frangi cupiebant, cùmqve id solidi ac suis viribus efficere non possent, arte & consiliis obsistere cœperunt, qndo imperium in belli socialis partes venit, rexqve Angliae à fœdere societateqve Gallicā est abstractus. Qvæcum fierent, vehementer affecti sunt Svedi, utpote qvorum commoda auctoritasqve cumprimis ea in re versabantur, qvi cùm ob superiora renovataqve nuper cum Gallis fœdera in suspiciones sociorum Principum incidissent, tūm postea in periculum addu-

adducti belloqve implicati sunt , qvam eventus ipsorum expectationi adversus fuit : qvod accidit, cum vulgatum est, eos non evitasse opinionem studii Gallici , duxisseque in regiones Brandenburgicas , cumqve reipublicæ mittendis auxiliis proportione Germanicarum possessionum prodesse possent, etiam rogatos monitos qve ob amovendam partium suspicione recusasse , pòst verò ab externo regé de subsidiis appellatos non defugisse , causatosqve speciale , sed ambiguæ interpretationi obnoxium, minquamve contra nexum necessitudinemqve & debitam reipublicæ fidem interpretandum fœdus , partes elegisse. Apud F. Belgas fortuna pariter & rerum bellicarum administratio correcta est, datumqve id Austris, ut Lotharingus, qvem ab æqvô legitimôqve arbitrorum judiciô rex Galliæ excluderat, Kaledis Juliis hujus anni in societatem fœderis recipereatur: non modo qvòd Cæsar & Hispanos pro eô fidem interposuerant, sed etiam qvia summa æqvitas postulabat, uti dux in pristinum locum restitueretur,

retur, majusque imminens malum averteretur. Nam eruptâ Lotharingiâ, Hispanis præcipue metuendum erat, qvòd iudicarent, malè consuli rebus suis, si in posterum inter infestos sibi Gallos iter versus Belgium haberent, siqve ex Ducatu Mediolanensi & Comitatu Burgundiae aditus versus Flandriam occupatus impeditusque esset: adhæc fas & fœdera superiora, clientelæque vinculum, finiumque defensio & juris auctoritatisque asserendæ ratio permagnam vim apud Austrios habuerunt, ut neqve ducem deseriri, neqve ejus queras negligi posse existimarent. Qvod regis Galliæ sollicitudinem auxit, qvia videbat, id à fœderatis hostibus agi, ut summis viribus se oppugnarent, Hispanique etiam denunciaturi bellum, ad inferendam sibi vim sese compararent, qvos intelligebat hoc spectare, ut plures hostes adversus se concitarent. Jam confirmati F. Belgæ, qvid commodum sibi opportunumque esset, æstimabant. Igitur res omnes ad continuandum belli apparatus reficiendumque exercitum provisæ, nec

non decretum publicè factum, ut propter inopinatos belli casus prudenter avertendos suas qvisque stationes diligenter obirent, incolæque in manipulos tributi incursantem hostem circumspicerent, conductisqve magnâ impensa militibus haud segniter opportunèque opem ferrent: qvod necessitati temporum concedi oportuit, ut imminentis proximò hosti, atqve ad irruptiones faciendas semper intendo vastandi occasio præcideretur. Simul & æstinati sunt belli sumptus, & pecuniæ subsidia fœderatis constituta, omniaqve demum procurata, qvæ ad temporum locorumqve opportunitates apta idonea qve sunt visa: neqve minor classis instaurandæ, ac in mare ducendæ cura fuit, propterea qvòd belli navalis consilia tunc maximè servebant apud Anglos, qvorum gratiam donis subinde missis Galli retinebant, qvibusqve exprimebant voces invidiæ ultionisqve plenas, qvæ ad F. Belgum qvasi ad delendam Carthaginem dirigebantur: tum magno numero epibatæ cogebantur, multi-

multiqve inviti & renitentes etiam in na-  
ves imponebantur, qvæ res monebat F.  
Belgas, ut resistendi consilium rationem-  
que tempestivè inirent. Qvare contigit,  
ut eōdem anno VII. NON. Jun. infestæ  
clastes congrederentur, qvæ dimicatio fu-  
it multò acerrima, cuius primum labo-  
rem periculumque subiit Trompīus, pari-  
que ardore pugnavit Banckertus, Ruyte-  
rusque prælii fortunam summā cum rati-  
one est moderatus. His non minori im-  
petu occurrebant hostes Estræus &  
Spraghius, qvi Roberto principi supre-  
mo classiariorum præfecto expeditas vires  
animosque præfentes demonstrarunt, do-  
nec inclinata in illos victoria, nox dirime-  
ret certamen, spemque eriperet inferen-  
dæ majoris cladis. Ita Batavi, desidera-  
tō licet proprætore Schrammio, vires ve-  
teremque laudem receperunt, Austrio-  
rumque desiderio maximopere satisfe-  
cerunt. Etsi enim par erat causa Bran-  
denburgici, qvod ob regiones in West-  
phaliâ sitas cum F. Belgis communem  
securitatis rationem habeat, tamen al-

Iatâ necessitatis excusatione , regi Gal-  
liæ reconciliatus est , propterea qvòd su-  
suspiciosissimô istô tempore tam impedita  
erant cœpti ejus belli rationes , ut qvia  
cas per se explicare non posset , ob præ-  
sens rerum suarum periculum , sinistras  
qve de expeditione suâ opiniones , nec ob-  
scura odii signa missasqve à Wangelinô  
voces invidiæ plenas , non recusaret pacem  
præsertim qvùm offerretur , essetqve ejus-  
modi , ut per eam de fide officiisqve sacro  
imperio debit is nil detraheretur . Persæ-  
pe tunc , nec sine dolore reputabat , qvòd  
non servata sibi essent , qvæ F. Belgæ serva-  
tueros se recepissent , qvòd qve stipendia si-  
bi promissa non persolvissent , cùmqve  
spopondissent securatueros , ut rex Daniæ &  
Duces Lunæburgici foedere ipsi se conjun-  
gerent , nil tale effectum dedissent , tum  
qvòd præter difficultates annonæ mili-  
taris molestiasqve alias , Moguntinus  
Trevirensisqve Electores transitum sibi  
denegassent . Prospexit qvoqve æmu-  
lationes à tergo , qvæ eò spectabant , qva-  
fi is plus nimiō in repudiūca appeteret ,

societateqve huius belli auctoritatem  
cum primis suam stabiliret : nec beni-  
gnior fuit eorum sententia , qvi dice-  
bant, eâ expeditione inferri vastitatem Ger-  
maniae , bellumqve accendi potius , qvâm  
restingvi : ad hæc onera transituum ho-  
spitiorumqve militarium jam tot & tan-  
tanta esse , ut non possint in posterum su-  
stineri : igitur his querelis & Svedorum  
præcipue postulatis permotus , in pa-  
cem Gallicam consensit , eô sanè durò re-  
rum statu , qvô vires solum ostendeban-  
tur Gallis , propterea qvòd prudenter tunc  
qvoqve æstimatæ sunt cunctatio Hispano-  
rum , nummariæqve difficultates apud R.  
Belgas , qvarum culpa transferebatur in a-  
varos aliquot sordidosqve homines , qvi  
qvæstus lucrïqve causa hactenus eam rem  
publicam tractarent . Parumqve aberat ,  
qvin socii exercitus , qvum consistebant  
in Westphaliâ , ob unam alteramqve su-  
spicionem sibi diffiserent , deqve præce-  
ptis à Turenio opportunitatibus haud ali-  
ter , qvâm mutuò indignantes , quereren-  
tur : Qvamvis principum , qvorum auspiciis

expeditio decreta susceptaqve erat, mens atqve consilium eò spectabant, ut se fideliter juvarent, viresqve Gallicas conjunctis auxiliis debilitarent: sed qvi illorum temporum erat status, Germania adhuc dissimiliter consilia tractabat, neqve tam celeriter omnes eas difficultates explicare poterat, qvibus ratio reducendæ in universum concordiæ nitebatur. Eò gravius accidit Austriis pactum Vossemense, cuius conciliator fuit Dux Neoburgicus: contra id vehementer probarunt Svedi, operamqve suam eò contulerunt, qvòd in spem venirent, fore, ut abstracto à societate fœderis Brandenburgi, eò, eò citius pax coiret: et si id alioversum interpretati sunt F. Belgæ, quasi nempe hoc agerent, ut impedirent Fœderatos suos, regique Galliæ omne studium naavarent. Fuitqve hoc ejusmodi, ut deinceps in belli causis numeraretur; perinde ac si Svedi istis consiliis conatum viresqve Gallorum adjuvissent, & aliquanto post etiam, fœdere Kalend. Decembr. hujus anni cum Brandenbur-  
gicō

gicō Coloniæ ad Swevum initō, nihilō propensiorem in se animum demonstrāssent, propositumqve distrahendæ potentiaꝝ suæ multò perniciosissimum conseqvi statuissent. Vix autem discesserat Brandenburgicus à fœdere Belgicō, cùm Trajectum ad Mosam, insigne Brabantiaꝝ castrum, loco ad invadendos finitos peropportuno situm, deditioꝝ est captum. Illud episcopatui Leodiensi antehac obnoxium Hispani redegerant in potestatem, qvibus anno secundō & trigesimō hujus seculi ductu Henrici Friderici Auriaci Principis ereptum est, qvod tempore Austriorum res valde inclinata erant, ut nunquam magis, atqve tunc, Hispanis pax, & Batavis moderatio fortunæ profuerit, qvòd sic caveri potuisset, ne illorum damna prodeßent Gallis, qvos spes & occasio facilè ad bellum stimularent. Ubi rector datus est Farius, vir usu belli & famâ insignis, ob eamqve causam Rheingravio, qvī hoc anno de Batavis optimè meritus deceſſit, suffectus. In cuius defensione tantum posuit Rex Hispaniæ,

niæ, quantum ejus interfuit retineri  
Brabantiam, unde non modò ejus, sed  
etiam Hollandiæ securitas penderet, si-  
mul ac verò cognita est hujus castri de-  
ditio, Hispani, qvorsum id pertineret ju-  
dicantes, de urgendô bellô efficacius con-  
sultarunt, certissimâqve auxiliî Cæfarei ex-  
pectatione freti, regem Galliæ pro hoste  
habuerunt: qvâ ex re hic non mediocriter  
perturbatîs est, qvia apparebat, futurum  
ut tota ejus fortuna in posterum commu-  
taretur. Fama tulit, Auriacum dispositis  
in vallô tormentis publicam lætitia signi-  
ficationem dedisse, cùm qvid cum Trajecto  
actum fuisset allatô nunciô intellexisset:  
unde vulgus ad deteriora credenda pro-  
num, reiqve publicæ ignarum, initiò qvi-  
dem vehementer offensum est, re autem  
post compertâ didicit, id tale prorsus fuis-  
se, ut indicaretur, Hispanos non posse ali-  
ter, qvin brevi apertum bellum regi  
Galliæ denuncient, qvippe qvibus certâ  
pactione Trajectum nuper cessum fuisset,  
salusqve Reipublicæ & voluntas conser-  
vandi regiones, & ulciscendi injurias  
eam

eam rationem atqve legem præscripsit-  
sent. Cum urbs summō impetu oppu-  
gnaretur, rex ipse fortitudinis specimen  
daturus, præsentia suā obsidentibus ani-  
mos fecit, prætorianosqve voce suā exci-  
tavit, gregariosqve enī demonstratō ad  
subeundum periculum accedit: Erat in  
castris dux Monmuthius regis Angliæ no-  
thus, qvi superatis apud Tongrensem por-  
tam præferratis sudibus, bis rejectus, ma-  
jori ardore rediit restititqve constanter.  
Cum tantō sangvinis impendiō res gere-  
retur, Farjusqve sciret, eum esse urbis sta-  
tum, ut iervari non posset, contraqve eum  
regis esse animum, ut non desisteret ince-  
ptō. XXX. Jun. deditioñem pactus est qvod  
Fœderatis magnopere profuit, propterea  
qvod in eā obsidione flos militiæ Gallicæ  
cecidit, majorqve clades, qvā in justō  
præliō accepta est: qvibus rebus evenit,  
ut qvum Hispani qvoqve Gallorum ho-  
stes existerent, rex coactus fuerit dedu-  
cere præsidia de urbibus superiori anno  
raptis, unde fœderatae provinciæ, qvæ  
vexatione hostium onereqve militari

propè oppressæ jacebant, non mediocri-  
ter sunt allevatæ. Sed Germaniæ Prin-  
cipes id non parùm conturbavit, præci-  
puè finitos, qvi jam intelligerent, qvid  
ex eò sibi expectandum esset : præter  
Trevirensem, & Palatinum Moguntinum-  
qve ipsum insolentiâ postulatorum re-  
gis perterritos, etiam Brandenburgicus  
parùm ejus fidei tribuens Cliviæ me-  
tuebat, qvòd videret ab rege non præ-  
stari conditiones paci Vossemensis. Ac  
primus qvidem expertus est Trevirensis,  
qvæ ejus regis voluntas animusqve esset,  
qvi eti superioribus temporibus de nido in  
Germaniam studiô tam præclarè comme-  
moraverat, fœdereqve Rhenensi & vari-  
is artibus amicitiam Germaniæ Princi-  
pum sibi conciliaverat, tamen nunc lon-  
gè aliud rebus factisqve declaravit, qvam  
is qvidem antea præ se tulit, qvòd puta-  
ret hanc esse occasionem proferendi im-  
perii in Germaniam, eam præcipuè, qvæ  
est cis Rhenum. Itaqve Marchio Ru-  
pifortius diversâ parte cohortes per a-  
grum Trevirensem distribuit, ipse cum

ex-

expeditâ manu versus Saravum movit,  
Comitemqve Sarepontanum Gusta-  
vum Adolphum, ut regis suæ fidei se  
permitteret, solicitavit. Qvô Nancejum  
reversò, iterum à tribunô ad exeqvenda  
mandata relictô instigatus est, ut regi se  
in clientelam traderet, qvod cùm pro eo,  
ac par erat, constanter recusaret, in custo-  
diam datus, alterôqve post die in Medio-  
matricum urbem est deportatus. Fuit-  
qve hoc belli atrocioris initium, & statum  
studiumqve Germaniæ Principum insigni-  
ter immutavit, præcipue electorum ani-  
mos ad majorem Reipublicæ commu-  
nisqve tranquillitatis curam avertit, cùm  
jam perspicerent, qvò evasura esset licen-  
tia Gallica, qvæ nemini parceret, & pati-  
entiâ suâ planè abuteretur, adeò ut si ea  
belli in posterum gerendi ratio futura es-  
set, nemini fide suâ innocentiaqve esse  
tuto liceret. Etenim Galliæ Rex ad fa-  
ciendas hujusmodi irruptiones non ex a-  
liâ causâ inductus incitatusqve est, qvàm  
qvòd Principes in obsequiô & fide Cæ-  
faris perstarent, nec adduci possent, ut

reciperent præsidium externi regis, qvi talia postulabat, qvæ & existimationi & libertati adversabantur. Mox in recusantes armis vindicatum est, quasi id, qvod regi denegaretur, continuò pro injuriâ habendum esset, qvippe qvi postquam deditum est Trajectum, qvædam à Trevirensē exigebat, qvæ ne jure quidem rogare poterat; capita postulatorum erant, ut præsidium Cæsareum Confluentiæ & Ehrenbreitsteinio impositum dimitteret, regis qvæ in tutelâ posthac esset, qvi suis rebus percommodum id putaret, nec ferre posset studium neutrius partis: igitur imperata faceret, regisqve Galliæ voluntati obsequeretur. Sed fides, patriæqve communis charitas apud Trevirensem Carolum Casparem ita valuerunt, ut ad deserendum recti & obsequantis Principis officium, suscipiendamqve externi regis clientelam nec promissis, nec minis adduci posset. Itaque totus ille Mosella tractus valde premebatur onere hospitiorum militarium, collationibusque prorsus exhatiebatur, adeò ut munici-

nicipia clientelæque passim vastarentur, nec sacerdotia tūtiori loco essent. Intērim plerique salutis suæ causā ex pagis & vicis cum rebus fortunisqve suis Mejenam confugiebant: qvorum ea fortuna fuit, ut Marchioni Troussio oppidum invadenti feliciter resisterent, obsidionemqve constanter perferrent, qvòd is nomine pecuniæ, de qvâ solvendâ conventum erat, apocham sibi denegāsse, forte qvia non expediebat id scripto mandari, qvod testaretur injuriam Trevirensi factam. Idcīrcō spe frustratus recessit iratior, circumjectosqve pagos exussit, incolisqve multum damni dedit: qvod cùm per se iniquum esset principiique intolerandum, dimisit nuncium ad regem, qvi pro rei indignitate de vi ac injuriis quereretur: is ab rege indignationis plenō haud benevolè acceptus auditusqve est, cùm haud obscurè argueret electorem, qvòd ita pertinaciter Cæsar's causam tuendam suscepisset, præfidiōqve ejus se firmāsse, qvod simulatqve de urbibus ditionis suæ decedere juberet, vicissim

militibus suis ipse mandaturus esset, uti ex agrô Trevirensi excederent, nullasque ei molestias imposterum exhiberent. Per idem tempus legatus civitatis Argentoratensis regi adventum in Lotharingiam gratulatus est, qvem honorifice accepit, vicinitatisque jus & amicitiam confirmavit, ut qvi non ignoraret, plus in ea urbe, qvam in plerisque finitimis Germaniae proceribus sibi esse situm. Paulò antè Marchio Louvojus, qvi belli acrius prosequendi auctor fuerat, Monti Bresaco, ubi ferè olim hæsitavit Germanorum felicitas, providit, regisque consilia diligenter executus, impendentis Germaniae periculi suspicionem auxit. Sic enim tum res habebat, ut qvi partes regis non sequerentur, ejus conatibus resistere hostiumque loco esse viderentur, qvasi Rhenum Mosellamque jam regno suo conjunxit, ut ibi ex suô unius arbitriô omnia agi oportet. His rebus tempestivè monebatur Trevirensis, ut Confluentia, qvò se receperat, diutiis subsisteret, qvoniam erat subverendum, ne ab rege, qvam-

quamlibet præter meritum ejus offendit  
 aliquid gravius in ipsum consuleretur.  
 Nec fecellit ipsum hæc cogitatio, quando  
 Rupifortius cognitò per indicium consiliò,  
 Hisponos Augustam Trevirorum  
 a periculō exempturus antevertit, urbem  
 que antiquam, & Principis domicilium,  
 armis ad dditionem coëgit. Invidiosa  
 erat hæc regis potentia, passimque odia &  
 metum intendebat, præsertim quād Vin-  
 dobonæ Gremonvilius de expeditione  
 Cæsaris acerbè loqui, & insolenter mina-  
 nari cœpit, fore, ut bellum in hæreditari-  
 as ejus regiones transferatur, nisi animum  
 ab armis socialibus avertat: alioqui non  
 recusare regem, quod minus pax retine-  
 tur, id verò pati non posse, ut hostes sui ad-  
 juventur, & quovis modō subleventur.  
 Nihilo melius postulatum terat, quād  
 solicitabatur Moguntinus, ut Hochstum  
 & Steinheimium in regis Galliæ pote-  
 statem traderet: qui cum per fidem, quā  
 imperio devinctus esset, id sibi non lice-  
 re affirmaret: tūm seriò quidem eum pœ-  
 nituit fœderis Rhenensis, quod ut cau-

tus alioqvi & prudens erat princeps, tunc primùm sine dubitatione intelligebat, plus nīmio tributum fuisse ei regi, qvi specie amicitiæ pangendisqve fœderibus rerum Germanicarum arbitria captaret, qvippe præter alia, qvæ Cæsari per molesta accidissent, hoc qvoqve ab se & sociis Principibus stipulatus fuisset, ut nemini iter per suas regiones aditumqve ad fines suos permitterent. Id verò haud obscurè dirigebatur ad Austrios, sentiebatqve se peti Cæsar, tanqnam is, qvi profide muneris ac necessitudine Hispānicā salutem Circuli Burgundici, qvem infestare armis rex constituerat, negligere non vellet. Sæpè enim invitò Cæsare, & aliquoties etiam dehortante, multa ejusmodi evenerunt, qvæ vitandi majoris dissidii causâ tolerari expediebat, donec ab rege arma pararentur, qvibus ut Cæsar resisteret, charitate patriæ adductus est, qvæ nisi apud eum valuisset, plerique Principes circumventi planeque oppressi fuissent. Per has insidias aggressus est Cæsarem minimè ignarum peri-

periculi, qvod saluti publicæ struebatur, ut simul ejus auctoritas & imperii potentia convellerentur. Qvamobrem, Cæsar contra minas firmus in sententiâ permanxit, & fidem auxiliumqve reipublicæ præsttit, profectusqve Egram, ubi eum Saxo plenus amicitiæ invisebat, nil recusavit, qvò minus justæ expeditionis ipse socius esset, si id qvidem per fortunam augustæ domus, qvæ orbitatis præsidia tunc qværebat, perqve Legati Hispanici Ronquillo de reditu eum interpellantis obtestationes fieri potuisset. Priusqvam copias dimisit, præfatus est, arima se invitum sumfisse, nec alibi secundum Deum, qvam in justitiâ belli atqve innocentia spem habere: nil concupiscere, qvod aliorum sit, neq; cupere, ut vel minimum terræ spacium ad regiones suas adjiciatur: id autem pro suô Cæsaris officiô permittere non posse, ut rex iste, spretâ juris pactorumqve Monasterii, Cliviæ & Aqvisgrani initorum religione, Princes Germanicæ ditionis vexet, finesqve imperii tot repetitis incursionibus depopu-

populetur: mali enim esse exempli, si his sua tranquillitas fraudi esse debeat, quibus ea semper praesidio fuisset: igitur testari Deum, se pacis esse amantem, credere que poenam sanguinis, qui tali bello profunderetur, ab ejus auctore expectatum iri. Itaque Rerum mundum Montecuculi copiis praefecit, qui occupatis a Turenio itineribus, quibus Mœnus auditur, boni prudentisque Ducis munere perfunctus est, quando contra insidias calidissimi hostis omni ratione se comparavit, Heripoli inque versus movit, aditu que ad interiora Orientalis Franciae pracepto, ejus episcopi atque Francorum gentis amicitiam è suo exercitusque commodo esse sensit. Inde progressus, annonam hostilem Wertheimii repositam igni vastavit, Tureniumque de spe intercipiendo Ochsenfurti dejectum commeatu prohibuit, frustraque fretum spe auxilii ad receptum adegit, atque hinc ad Rhenum profectus, disposito ad praecavendum Lotharingum, contra hostem supple-

plementō Vanbrunianō auctum semper  
cautus fuit, trajectoqve feliciter fluviō  
castra sua cum Hispanis fœderatisqve  
Belgis conjunxit. Ibi communicatō  
cum sociis confiliō, auctor fuit obsiden-  
dæ Bonnæ, qvōd Cæsar's officio conveni-  
ret, ut hostem à Germaniæ finibus abigat,  
pacemqve patriæ reddat, qvæ reddi qvi-  
dem ac restitui non possit, nisi Elector Co-  
loniensis à signis Gallicis discedat, auferat-  
qve ab urbibus suis externum præsidium,  
qvod Bonnam quoqve ejus domicilium  
tunc insidebat. Cum eò ministrorum con-  
siliis impeditus adducere posset, pericu-  
lum veritus Bonnâ discessit Coloniam A-  
grippinam, pactusqve ab Senatu fidam cu-  
stodiam, migravit in monasterium S. Pan-  
taleonis, ibique usqve ad hunc annum  
est commoratus. Mox appropinqvā-  
runt Bonnæ fœderati exercitus, ac tri-  
partitō oppugnatam continuō Impetu fa-  
tigārunt, ut septimō die pōst, qvām cœ-  
pta fuerat obsidio, ditionis facien-  
dæ conditiones acciperet. Nam præclu-  
sō undique aditu, non erat, cur promis-  
fa

sa à Turenio & Luxemburgio subsidia speraret, qvod fœderatis perutile fuit, qvum iis rebus non modò versus Mosellæ Rhenique inferiorem limitem magnum armis suis incrementum afferrent, sed etiam itinera aditusque illuc pertinentes in potestatem redigerent diligentissimeque custodirent. Qvod ad liberandas F. Belgii urbes non leve momentum attulit, Gallicasque rationes multum impedivit, prorsusque tale fuit, ut Germania periculi commonefacta, redintegranda sensim concordiae consilium iniaret studiumque pacis revocaret, soplitisque dissidiis, qvæ bello civili materiam datura fovebantur, capiti suo fide officioque se devinciret. Hæc læta Cæsar's primordia exemplis commovebant animos, & plerosque etiam promissis Gallicis irretitos ab incepto perniciösissimō deterrebant.

Cæterum ubi Flandria, qvà ditionis Hispanicæ est, pacem diu infidam inutilemque experta fuerat, rex Catholicus bellum Gallis denunciavit, qvòd ii populationibus atque omni crudelitatis gene-

genere ulciscabantur. Neque eò mi-  
tius agebatur cum reliquis Belgii Hi-  
spanici provinciis, nisi quod libero Co-  
mitatui Burgundico parcitum est, quem  
cum Helvetii lege patrocinii defenden-  
dum suscepissent, tūm Galli rationibus  
suis alienum putabant, eos sibi tunc red-  
dere infensos, quos liceret placare in-  
posterum, ut nemine resistente eò arma  
ferre possent. Interim Hispanis mul-  
tæ quotidianæ ac inopinatae difficultates  
accidebant, & pleraque eorum consilia  
Gallicō impetu præveniebantur: nec  
boniñus E. Belgii populus habitus est,  
præsertim quā Luxemburgius iis ur-  
bibus, quas cum præsidio tenebat, fer-  
rum flammamque minitaretur, si peri-  
culum, quod instaret, pecuniā non redi-  
merent, sique obsides non darent, quā  
difficultate nummariā impedirentur.  
Magnus erat hic vastitatis inferendæ  
metus, & direptionis incendiorumque  
discrimen passim ante oculos versaba-  
tur, nec muri vallorumque ope-  
ra & turres munitionesque extra hujus  
for-

fortunæ aleam futuræ erant, ut scirent, nullum esse excusandi locum, qvùm necessitati parendum esset. Unde magna pecuniæ vis pretiosaqve supellex compara-ta est, ex eâqve plurimum lucri fecerunt Ductores Ordinum, præcipue Luxemburgius & Condæus, qui calamita-tem afflictarum Urbium in commoda sua vertebant, multumqve argenti extor-qvebant, qvod unà cum aliis rebus, qvas eô nomine ex fortunis civium coëgerant, onustis curribus in Galliam deve-hebatur. Qyò tempore cognitum est, qvæ merces qvive fructus sit defectionum, qvamqve satius fuerit, eas pecunias in defensionem, qvæ superiori anno prætermissa fuerat, qvam in libidinem hosti-um impendi, siqvidem id honestissimum bellandi genus sit, qvod repellendi periculi ratione continetur. Id verò secus cecidit, qvia populus à proceribus animo & voluntate dissidens prorsusqve ipsorum imperio dissidens præcipitandi consilii causam dedit: qvò evenit, ut ii omnium maximè affligerentur, qui spon-

sponte suâ hosti se dediderunt, aut non magnopere ei restiterunt, qvippe destitu-  
ti pòst auxiliô, qvô ipsi se culpâ suâ pri-  
varant & jure etiam dignitateqve excide-  
rant, nisi interpositâ Auriaci auctoritate  
pristinum in F. Belgii Senatu locum recu-  
perassent. In hòc rerum statu consilia ex  
occasione capiebantur: Hispani cùm vide-  
rent Gallos audaciâ & celeritate conficere  
res suas, non modò non negligebant de-  
fensionem Provinciarum Belgicarum, sed ne domi qvidem cessabant, qvòd usu  
docti intelligebant, nisi malis superiori-  
bus occurrerent, incursionum Gallicarum  
nec finem, nec modum fore: itaqve novi  
fœderis fiduciâ erecti damna accepta ul-  
cisci, occupataqve Bonnâ ex Ducatu  
Luxemburgicô etiam Episcopatum Me-  
tensem oppugnare cupiebant: tûm dimis-  
sô ab se Villarsiô Regis Christianissimi Le-  
gatô, huc totis viribus incumbebant, ut  
totâ Hispaniâ Gallorum commercia con-  
qviescerent, bonaqve & fortunæ ipsorum  
detinerentur: eandem in fententiam Lon-  
dini minæ jaçabantur, nisi Rex Angliæ per-

perturbatis confusisqve rebus consule-  
ret, fœderiqve Gallico nuncium remit-  
teret, non posse aliter facere regem Ca-  
tholicum, qvin simile exemplum sta-  
tuat in ejus ditionis populum: eò ra-  
tiones variæ & graves à Marchione  
Fresno adductæ sunt, qvæ eo spectabant,  
ut Gallos hostes suos ope ne sublevaret,  
qvorum iniqva & insidiosa consilia jam  
diu deprehendere potuisset, qvando ii  
non aliam qvām publicè nocendi viam  
inirent, & bella pro libidine atqve arbi-  
tratu suô molirentur: Belgium misera-  
biliter vexatum direptumqve intuere-  
tur, cujus amittendi periculum qvoqve  
ad finitos Anglos pertineret. In  
Lusitania ecclesiastici Ordins homines  
populusqve Petro principi svadebant,  
pacem retineret, neqve destinationibus  
Gallicis locum daret, siqvidem ei non  
suppeteret justa causa belli Hispanis in-  
ferendi, & procul vi armisqve res suas  
adaugere securè posset: non enim esse  
eam regni conditionem, ut periculo ca-  
sibusqve incertis exponatur, præsertim  
gvum

qvum caveri debeat, ne si eventus non  
prosper sit, factiones excitentur, multo-  
rumque animi in Alphonsum propensi  
magis ab eō abalienentur. Quantacun-  
que autem solicitudine & diligentia hoc  
negotium confectum est, tamen instru-  
ctæ sunt contra Principem insidiæ qvæ  
cum ipsum perturbatum valde commo-  
tumque redderent, eas in tempore dete-  
xit Legatus Hispánicus, qvi tunc Ulissi-  
ponæ commorabatur, & gravi maturō-  
que consiliō gliscēntis conjurationis cau-  
fas ab Gallis repertas indicabat. Actum  
qvoqve Rex Angliæ, amicitiâ & feedere  
Gallis conjunctus non refragabatur peri-  
culosissimo instituto, & in re atqve causâ  
maximi momenti rationes firmandæ æqua-  
bilis finitimorum potentiarum dissimulabat,  
donisqve pellectus adhuc speciosè permul-  
cebatur.

Inter Hungaros illi sacerdotes, qvi  
Protestantium nomine distingvuntur à  
reliquis, qvæsi motibus causam dedis-  
sent, ad Senatum delegatum ab rege in-  
stitutum acciti, deqve superioribus actis  
in

interrogati dissimiliter ad objecta responderunt, plurimos tamen nec metus, nec promissa expugnare potuerunt, ut à sententiâ discederent, qvanqvam de acerbitate Cleri & iratiore in primis Collonitschii animô subinde querebantur. Interim ejus Reipublicæ status valde commutatus est : Johanni Caspari Ambringius potestasqve Rectoris Regni Hungariæ attributa, visqve superiorum legum, per qvas externi à summô isto Reipublicæ munere arcebantur, resoluta, cumqve duriora indies tempora instarent, Ambringius ingenio minime difficulti mansuetudinisqve studioso Austriæ gentis clementiam præ se tulit, magnatumqve animos lenitate Potius, qvam vi, ad patendum Imperium inflexit. Poloni Regem Michaëlem togæ magis, qvam belli artibus assuetum mense Novembr. amiserunt, cuius dignitas maximè cordi fuit Ordini eqvestri, qvanqvam ipsi restituerunt aliqui Senatorum, qui tantum in odium vocarunt, ut de eō etiam loco moriendo consultarent. Qvod Gallis partes Au-

Austrias in Polonia labefactari cupientibus opportunum accidit, quippe quorum consilia dudum eò pertinebant, ut Poloniā Gallicō nomine obnoxiam habent. Auctores haud quaque contemnendos habeo, Regem, cum maxima onera injuriasque Barbarorum sustineret, ab omnibus Christianis Regibus, exceptō Gallicō. opem petuisse: hunc verò ejus causæ non ignarum ultrò auxilia Polonis obtulisse, ut propensam voluntatem duntaxat in speciem significaret, et si res ipsa indicio erat, Regem Christianissimum non studio in Michaelem, sed benevolentia adductum erga plerosque Senatores, quorum animos sciebat ab Rege suo esse alienatos, hoc tale faciendum putasse unde non potuissent non excitari dissensiones funestumque civile bellum, cuius adeò tota calamitas in istam Regem fuisset redundatira. Cum ea temporum ibi difficultas discordiaque regni civium esset, insigne facinus edidit Polonici belli Imperator Johannes Sobieskius, consertoque cum Turcis apud Choci-

tumæ gentis periculum qvoqve ad se pertinere ratus, opem suam Polonis liberaliter promisit, fœderisqve bellici sincerè servandi fidem dedit, & Cæsarem summosqve Europæ Principes ad auxilia contra Turcas ferenda solicitavit, excitisqve suæ ditionis Cosacis, non modò perterrefecit hostes, sed etiam subitâ irruptione Tartariam Præcopensem vehementer afflixit, & circiter duo millia barbarorum in castris oppressit.

Vix dum in Italâ qviescebant litteres inter Sabaudum Reinqve publicam Genuensem, qvum rex Galliæ, qvi suscepitô conciliatoris munere, adhibitôqve ad restituendam ibi pacem Gaumontiô, negotium hoc confecerat, ipse jam illam in hostis locô habet, nomineqve injuriæ & damni dati graviter multat, & navibus fortunisqve vim facit. Ea cùm nil tale se commeritam affirmaret, propter qvod regis offensam incurreret, paratamqve se ad præstandum datum offerret, qvædam per Gaumontium postulavit, qvæ contra istius Rei-

mum præliō , memorabilem victoriam reportavit. Eò permagnum momentum attulit opportuna reguli Valachiaæ defectio , in primis que Lithuanorum atque inter hos maximè Demetrii Viesniewicii Radziviliique constantia & fides , nec non velitum Polonicorum , quos Hussaros nominant , aliquoties repetitus impetus , qui nutantem fortunam intrepidè acriterque instaurabant , & Turcas in castris , præeunte strictumque ensim præferente Sobieskiō , adorabantur. Haud minori ardore decertarunt Germani pedites , cæterique expeditionis socii unâ mente & consilio experiebantur. Quæ res facile lenivit dolorem ex morte regis acceptum , multamque laudem Sobieskio , qui Duces Lithuaniae ad trajiciendum Borysthem ad castra que secum conjungenda persuaserat , peperit , tantamque regni Ordinum gratiam ei conciliavit , ut sane etiam afferret ipsi pondus ac regnum altero anno capessendum. Commodum tunc Alexius Michalowizius finitimus

publicæ, neutras partes amplexæ, dignitatem, præterque jus & æquum erant. Igitur tota propè Italia hæc regis acerbitate commota est, Hispaniaque justō metu excitata, auxilium in oram maritimam dimitendum Reip, promisit, qvod cùm rex intelligeret, nolle que contra se armari Italiam, injuriæ paulatim conqvieverint, sensitque Respublica, pro superioribus exhibitis regi officiis hanc sibi relatam fuisse gratiam, qvod admoneret, qvam lubrica ejus amicitia esset, qvi tam levī momentō mutaretur: jamque constare poterat, qvid causæ fuisse, cur rex pacem Genuensem maturāfset, qvippe qvi sciebat, rempublicam illam contra insidias proditionemque Raphaëlis Torreni satis jam firmatam, Sa- budo spem victoriarum præcidisse, stu-debatque his rebus capere occasionem militis Genuensis, cuius missionem Resp. factura esset, ad sua stipendia ad-jungendi, ut talem in modum nudata robore eò opportunior injuriis esset, si mulque ut transportatas ex Noricō co-hor-

hortes eādem commoditate à Sabaudō reciparet, qvibus contra novos hostes uteretur. Ab Helvetiis æqua postulabant Cæsarī regisqve Hispaniæ legati, & cur illi ipsi, incolumi atqve integrō fœdere p̄petuæ defensionis, non possent deferere Comitatum Burgundi-  
cum, qvatuorqve urbes, qvas Sylvestres nominant, itemqve Constantiam &  
Brigam Vallesiæ, graviter exponebant:  
tum rogabant, ut conatus incursions-  
qve Gallicas in eos fines impedirent, au-  
xiliumqve & patrocinii fidem prædictis  
regionibus præstarent, militesqve suos,  
qui sub signis Gallicis merebant, qvam-  
primū revocarent. Ibi verò non u-  
nia omnibus mens fuit, neqve res hæc  
ita confici potuit, ut Cæsari Hispanis-  
qve expediebat: propterea qvòd delega-  
tus Gallicus multa de rege suō pollicitus,  
id operam dabat, ut tentatis Ordinum  
animis, allata in eam rem consilia per-  
verterentur. Præterea suspiciones,  
qvæ artibus Gallicis illic struebantur,  
qvotidiè invalescebant, primiqve erant

conventus Mulhusini, ad qvem Delegati ex tribus imperii *Circulis*, Saxonicō superiori & inferiori, pariterqve Francicō convenerant, honesto atqve utili consilio juvabat. Aderat ibi nominæ Cæsaris Wolffgangus Comes Ottingensis, & qvid ex re patriæ esset, consulebat, ac de Calaris voluntate studiōqve in patriam præfatus, significabat, cupere eum, ut Germaniæ leges publicaqve tranquillitas conservetur, qvæ cùm hōc tempore in magnō discrimine sint, incursionibusqve Gallicis convellantur, monere prædictos *Circulos*, atqve secundum muneris sui rationes postulare, ut copiis suis transitum concedant, ipsique etiam ad defensionem se comparent, militesqve conscribant, & si opus sit, vires auxiliaqve afferant, ut afflitti vexatiqve per injuriam principes ē periculō calamitateqve eximantur: iis verò, qvi hostis partibus se obnoxios fecerint, neqve hospitia, neqve transitum permittant, qvæ ratio futura sit recuperandæ pacis, & liberandi Principes injustis armis propinquodum oppressos. Ad ea

pagi reformatarum partium , qvi Au-  
striis gratificari cupiebant , pagi autem  
*Catholici Rhætiqve* difficiliores se præbe-  
bant, nec in eam sententiam adduci se  
patiebantur , ut juberent milites suos re-  
dire domum , unaqve prohiberent , qvò  
minus in pagis suæ ditionis cohortes  
Gallicō stipendiō alendæ conscriberen-  
tur. Faciebat enim pro more suō rex  
magna impendia , & qvum metu minis-  
qve perficere destinata non poterat,  
magnis donis gratiam captabat , ut per  
Helvetios non impediretur , qvin occu-  
paret Comitatum Burgundicum , qvi  
alioqvi in ipsorum tutelā erat , qvod e-  
tiam in seqventi anno evenit. Jam res  
Germaniæ tales erant , ut principes , præ-  
cipue *Protestantes* , Cæsari unâ voluntä-  
te se conjungerent , mandaqve in so-  
cios expeditionis Gallicæ promulgata  
in foribus publicis affigenda curarent ,  
iustitiamqve armorum ipsius comproba-  
rent. Saxo pro fide suâ Egræ cum eō  
fœdus pepigit , & exemplum seqvendi  
aliis tradidit , nec multò pòst negotium

COR.

Delegati Circulorum responderunt, Cæsar is curam & consilium patriæ esse salutare, nomineque electorum & principum suorum ipsi gratias habere, qui in ejus atque imperii fide tutelaque sint, & manere velint: Cæterum ad eos referri oportere de capite publicæ securitatis, quod in Comitiis decidendum sperent, quod altero quidem anno quietis & boni publici causa usui probatum fuit. Johannes Philippus El. Moguntinus, qui sentiebat connivendō augeri Gallorum potentiam, dubiamque ipsorum amicitiam & superiora promissa, incrementa item regis & augendæ potentiae studium expendebat, Catoque Germaniæ habitus, finitimus ob controversias subinde excitatas metuendus erat, hoc anno illustrata in primis Schonbornianorum gente, unde prognatus fuerat, decessit. Bavarus quidem placere sibi pacem testabatur, sed foedus cum F. Belgis ictum planè ei invisum erat, eoque orabat Cæsarem atque adnonebat ut id omitteret, quod pericula ærumnasque sacro imperio afferret, alienam-

namque duntaxat causam complectetur. Cumque quid suæ mentis animique esset, per epistolas & Baronem Kleistium indicasset, rationibus ab Cæsare adductis acquiescere necesse habuit, & fidei Reip. obligatae memor nil sibi indulxit, quod Cæsar, exercitusque eius superiorem Palatinatum transiens læderentur. De qua sententiâ neque auctoritas Privigniani, qui Henricæ Adelheidi ipsius conjugi à sacris erat, neque calliditas Vitrii legati Gallici eum dimovit, nec denique necessitudo Hermanni Egonis Fürstenbergii, gratiâ & consiliis valida, ipsum impedivit. Brandenburgicus fortunam suam, & Svedorum promissa, Gallicasque res & diversa Principum studia æstimans, paci nuper initæ non fidebat, & bono recto que in Cæsarem animo, de conditionibus, recuperanda imperio tranquillitatis ab rege Svedicæ propositis monebat, perque Marenholzium pronunciabat, sibi curæ fore, quod Cæsari ea in re videretur, cuius & imperii salus communis esset: Cæsar superiora pericula damnaque illata reputans

censuit, consilia Gallica minime dirigi ad sinceram pacem, et si rex iste semper sinceritatem pra se ferat, armaque omis- surum se recipiat: nam quod promptiorem se ad pacem ostenderit, eodem minus aequas pacis conditiones ab eodem suisse acceptas: itaque vires & subsidia circumspici oportere, ut Germania vindicetur in libertatem, quippe quam, rejecto *armistitio* generali, continua incursionibus fatigaverit, occupatisque Friedbergâ, Aschaffnburgâ & Selingstadio afflixerit, contraque fidem supremi patrocinii X. Alsatiae Urbibus datam, non expectata imperii Principum sententiâ arbitrariâ, in quam sciens prudensque ante consenserat, pro jure vim adhibuisse, nec non Trevirensem neutruius partis principem, nulloque foedere Belgis devinctum, hostiliter vexasset, & non modò trans Rhenum, sed etiam trans Mœnuin Tubarimque arma protulisset, ac denique conciliationen à Moguntinô, Bavaro & Duce Lüneburgico Georgio Gvilielmô suscep- tò morâ tergiversationeque suâ elusisset, ani-

animumqve sic satis à pace alienum declarasset, Palatinus etiam, passò injuriam Trevirense, periculo propior, tentandæ cœmpositionis auctor erat, qvippe non oblitus damnorum, qvæ per simulationem amicitiæ intulisset Turenius, qvum ejus cohortes Palatinatum Rhenensem, Bipontinumqve transirent. Is extremô hujus anni mense auctus est hæreditate principatus Simmerensis, exempto rebus humanis agnatô Ludovicô Henricô, nisi qvòd ipsi litem movit ob Böckelheimium Lotharius Fridericus, Johannis Philippi successor, atqve hōc mortuô, eam persecutus est Damianus Hardardus. Qvæ accessio quidem ad dignitatem potentiamque Palatini permagnum momentum attulit, propterea qvæ paci frui voluit, qvòd judicaret belli, qvō Germani Galliqve inter se committerentur, difficilem existum fore, prospiceretqve calamitates atqve molestias, qvas ratione vicinitatis subiturus esset, si ambitio regis injectâ incrementorum spe, illectâ invadendi finitimos occasione excitaretur.

omnibus fortunis instrumentoque bellicō, insidentibus licet vicina itinera Batavis Hispanisqve, feliciter elapsus fuerat, cuius nomine alioqvi Rex valdē angebatur, adeò ut totam penè Galliam ad eum liberandum commovere velle videtur, Hæc dum agebantur, intelligi poterat, qvō Rex amimō esset in Germanos, qvippe qvorum erga Cæsarem fidem suam injuriām putabat, non passurus, ut mandata contra eos edita, qvi arma pro Gallis ferrent, liberè in Regionibus suis promulgarent, qvod Duci Mompelgardico usu venit: sed neque amicis affinibusqve suis pepercit, qvum non modo milites prædæ causā pas- sim in Neoburgicas Provincias effundi sineret, sed qvoqve Palatino urbes vicosqve eriperet, & Bethunii artibus circumventum indignissimè haberet, qm & ante fœdus cum Cæsare iustum de injuriis per Turenianas cohortes illatis conquerentem irritavit potius, qvam mitigavit. Dixerat enim Pomponius regii administer consilii, hanc eorum esse fortunam, qvi se medios partibus præstarent, ut difficulta-

Verùm prudentia Cæsar is , cui rebus pòst turbatis , magnâ fide constantiâq; ve se conjunxit , nihil in communis causæ perniciem admittebat, eratq; via liberandi F. Belgii, & stabiliendæ insuper Cæsareæ auctoritatis , qvæ superiorum licentiâ temporum erat qvodammodo imminta. Contrà Rex Galliæ nil suæ utilitatis causâ omisit, suspicioneq; dissolvendi foederis Anglii motus, atq; hostibus diversâ parte ingruentibus suffecturus, præfidia de occupatis urbibus provinciisq; decedere jussit, roboreq; collectô, fortunam instauravit. Mox imparatos Principes bellumq; non timentes, ac plerosq; etiam , ut nil à se timerent, per epistolam præmonitos invasit, proximosq; Belgas Hispanicos vastavit, tantâq; vi & terrore eas Regiones complevit, ut si fuissent sine foedere, parum abfuerit , qvin haud longô temporis spatiô omnes sanè Regis arbitriumseq; cogerentur. Commodùm Monta- lius Caroloregiam liberaverat, simulq; Lu- xenburgii transitus Regem ingenti soli- citudine levaverat , qvoniam is cum omni-

retur; comprehensus, contraqve datam fidem Legatis, qvorum in loco numerô-  
qve is esse cupiebat, abreptus, Bonnam-  
qve, in qvâ tunc Cæsar is præsidium in-  
erat, abductus, præterqve dignitatem &  
jus Principis in custodiam missus fuisset.  
Quartus decimus Februarii dies erat, cùm  
id belli continuandi novum esset classi-  
cum, non invitis Batavis, qvippe Austris  
nomini amicitia & fœdere innexis, neque  
alienis ab eâ re Hispanis, qvi optabant,  
ut regi ob nimiam potentiam formidando  
plures hostes existerent, sibi contra plu-  
res amici sociiqve conciliarentur. Id  
postqvam evenerat, regis Svediæ Legati  
qverebantur, ad eum modum spem pacis  
Europæ, fructumqve operæ in eō genere  
positæ sibi eripi, proptereaqve pro resti-  
tuendō in libertatem Fürstenbergiō ma-  
gnopere annitebantur. Sed qvale hoc  
fuerit, aliquantò pōst cognitum est, cum  
Cæsar rationibus doceret, qvamobrem  
ex eō loco amovendum putaverit Prin-  
cipem, qvi se vocâisset in odium, testa-  
tumqve aquid multos reliquisset, qvām  
alie-

tes molestiasque belli æqvis animis ferrent, qvæ evitari non possent dum cogerentur exercitus, ad transitumqve pararentur. Etiam Nassovii Comites, Principesqve Salmenses, & vicini sine discrimine, vel ob suspicionem levissimamqve offendam, repertumqve injuriæ prætextum mulctati sunt, communítôqve Nancejô, firmatisqve Lotharingiæ & Alsatiæ finibus, aditus ad infestandam Germaniam opprimendamqve libertatem apertus est, intercepptôqve alterô pòst annô Burgundiæ Comitatu, tota Hispanorum fortuna, qvæ cum nostratis Belgicisqve regionibus communes rationes habet, in periculum venit.

1674. Interim multorum animi adhuc iu spem reparandæ pacis erigebantur, qvum præter opinionem subitò res conversæ sunt, propterea qvòd Galliæ & Angliæ regum legati, qui una cum aliis Coloniæ Agrippinæ ad tractandum de pace convenerant, mandata causati discesserunt, ideoq; offensi, qvòd Gvilielmus Egon Fürstenbergius ab Austris pro ratiæ belli habitus, cum rhedâ vehe-

enunciâsset se autem, cui ad talia indicanda obstrictus fuisset, & jure legibusque etiamnum teneretur, celasset, opimisque *Abbatiae Gallicæ* redditibus auctus, externo Regi & hosti stipendiô sese illigâsset, in alius, qvam veri & supremi d'omini potestatem traderetur. Hæc tunc inter difficiles ac perplexas pacis restituendæ rationes affirmabantur certaque in capita mox descripta cognitioni comitiorum subjiciebantur, famâque ad exterros etiam Princes perferebantur, ut qvibus rationibus Cæsar ad tale quid decernendum inductus fuisset, passim sineque morâ intelligi posset. Pertinebat enim ad famam Cæsar, ut ostenderet, cur nullô Imperii jure impeditus fuerit, qvò minus muneris temporisque rationem haberet, qvòd Princeps arguebatur commissi, quasi contra Cæsarem, tanquam Imperii caput, & simul contra eum tanquam hæreditariô beneficiariôque jure dominum fecisset, novissimeque etiam pacis compositionem retardâsset, consiliaque salutaria & optima machinationibus suis invertif-  
set,

alienō ab se animō esset, dum paci impe-  
diendæ consilia adhibuisset, taliaqve ad-  
misisset, qvæ nec per Cæsarī officium, nec  
per domini beneficiarii rationes ferre po-  
tuisset. Non egere testibus, qvòd ad Re-  
gis Galliæ, hostis Reipublicæ, voluntatem  
nutuimqve totum se convertisset, siuimqve  
edictum, qvō Germanos societate militiæ  
Gallicæ prohibuisset, sublatâ obseqvii præ-  
standi religione, violâsse, Regemq; ad odi-  
um bellumq; extimulâsse. Qvod cur facere  
non debuisset, multas eum causas habuisse,  
præsertim qvùm is Princeps esset, qvi con-  
fensu & suffragiô principali in Imperii con-  
ventibus careret, essetqve in ditionem Au-  
striorum redactus, clientelæqve fide in per-  
petuum sibi obligatus. Itaqve editum & in  
Comitiis approbatum securitatis Legato-  
rum decretum eò non posse produci, ut  
Princeps è custodiâ dimittatur seqvestris  
fide asservandus, qvod id neqve ex Repu-  
blicâ, neqve ex suâ Cæsarī dignitate esse  
judicaret, ut qvi fomes belli ac dissensio-  
num in Republicâ fuisset, foedaqve Seri-  
nii & Frangepanii consilia Regi Galliæ  
enun-

dam reipublicæ suamqve causam induxit, & fide fœdereqve Cæsari devinatos, ad vires in communem utilitatem explicandas permovit: qvorum exempla imitati sunt Orientalis Franciæ Principes, qvi Norimbergæ congregati, accommodatis securitatî firmandæ consiliis, prout superiori anno Mülhusii conventum erat, de mutuâ defensione deqve adornandô expeditionis apparatu consultârant. Saxo nil veritus Chaffani Grafenthaliique minas, implevit conditiones Egrani fœderis, cuius ineundi rationes moderatus est Baro Henricus Frisius, exemplò ad Germaniæ concordiam utili, & ad bellum ex visceribus reipublicæ exterminandum perdoneò, præsertim qvùm non multò pòst Franci per epistolam appellati comiterque invitati sunt ad animos viresqve cum utrōqve Saxoniz circulò conjungendas, id qvod valdè accidit ex voluntate Petri Philippi Antistitis Bambergensis, & Christiani Ernesti Marchionis Baruthini, qvi nihil prætermittebant, qvod ex re publicâ esse arbitrarentur.

Diffi-

fet qvarum non aliud fuisset remedium, qvām ut avertendi majoris mali causā ex urbe Colonensi, qvæ tunc conventu Legatorum sancta erat, auferretur. Iis autem rebus Germaniæ status cœpit fieri turbulentior, Galliqve ad vehementiorem impetum conciati, rejectā irritæ super pace consultationis in Cæsarem invidiā, Palatino, contrā qvām Heidelbergæ de regis sui voluntate pollicebatur Bethunius, arma intulerunt, duetuqve Rupifortii & Vau-brunii in agrum Germersheimensem profecti, latè omnia vastarunt, atqve ipsum etiam Germersheimium, ejus ditionis castrum vetus & Rudolphi I. Cæsarī morte inclitum, interceperunt. Miratus subitum odium impetumqve securus fidei suæ Palatinus, prudentiā consiliisque suis regi Galliæ multos hostes, domi forisqve excitavit, ab eōqve in primis Danum alienavit, qvippe ob expilatos fororis Gvilielminæ Ernestinæ dotales fundos commotum graviterqve offendit; tūm Saxonem atqve Brandenburgicum, Ducest item Luneburgicos ad suscipiendam

Difficilius apud Svevos concordia coivit,  
non modò qvōd misera Palatini for-  
tuna ipsis ante oculos versabatur, sed qvia  
Bavarus etiam, qvi opinas ibi clientelas  
habet, pro statu illorum temporum pace u-  
tendum statuebat, Turenitusqve iis bene-  
volentiam Regis significabat, si bello se non  
implicatiū essent. Sed vicit causa Reipu-  
blicæ, auxiliumqve contra vim injuriāsque  
Ulmæ decretum est, qvod rebus Cæsarī  
perutile prosperumqve evenit, qvoniam  
ea regio & vicinitate erat opportuna, &  
ad inferendam ejus castris annonam per-  
multūm valebat. Hæc dum ageban-  
tur, laturi auxilium Saxones advenie-  
bant, & rem causamqve Palatini pari-  
ter & Germaniæ adjuvabant. Mox Du-  
ces Luneburgici, cum Cæfare, Hispa-  
nisqve & F. Belgis fœdus paeti, cum  
copiis magnâqve tormentorum vi ap-  
propinqyabant: neqve secius Branden-  
burgicus arma, qvæ ex formulâ pactio-  
nis Vossemensis deposuerat, corripuit  
iterūm ac in Gallos convertit, cùm  
qvōd illa transactio ejusmodi esset, ut  
imperii

imperii legibus officioqve suo fraudi esse non posset, tūm qvōd ex fœdere antiquō inter Principes electores initō, sanctionibusq; Cæsareis juratis confirmatō, tanta sit omnium necessitudo, tantaqve animorum & voluntatum conjunctio esse debeat, ut non facilē arctiora queant esse vincula, qvām ea, qvibus ipsi inter se colligentur. Itaqve Brandenburgicus fiduciā *Unionis electoralis* erectus ad libertatem, Cæsariske cohortationibus excitatus, atqve exemplis etiam propinquorum principum confirmatus, noluit diutius esse obnoxius insidiis Gallicis, unaqve cum republicā, cui semper & summā ratione devinctus esset, belli fortunam experiri statuit, ut salva tandem ac tuta communis patria præstaretur, superbaqve hostiū de Germanis opinio convelleretur. Socium cognatumqve Principem electorem, tot injuriis affectum & pollicitationibus quoqve deceptum, contra jus fasqve gentium, contra sacras imperii leges, contraqve pacis Westphalicæ formulam armis appetitum auxiliō destitue-

tuere, agrumque ejus & vicos reip. hostibus diripiendos relinqvere periculum pariter ac pudendum videbatur. Eò magis, qvod in Palatini fide atque innocentiam nil desiderari poterat, neque ejus culpam, consiliom, aut rebus & factis ullum regi damnum datum erat, qvando favebat paci, bellumque Cæsari ipfi tantisper dissuadebat, dum proximos principes ipsumque se petivideret, adeò quidem ut qvum Galli eum ad fuscipiendam regis causam neque cogere, neque persuadere possent, fama tulerit, Francodalii intercipiendi consilium inisse, qvod tale institutum erat, ut totus fere Palatinatus in potestatem ipsorum redigeretur. Itaque ut malum imminens anteverteret, de fœdere inter eum Cæsaremque agi cœptum est, qvō præter alia hoc quoque continebatur, ut Philipsburgi munitiones solo æqvarentur, siqvidem istud castrum, qvod proxime Palatinatum est, Cæsar in potestatem suam redacturus esset. Qibus temporibus constantia Palatini fuit memorabilis, magnuinqve momentum

attul-

attulit ad bellum in illis finibus gerendum, qvod Gallos ita malè habuit, ut in tractum ditionis ejus Rheno finitimum incursiones facerent, ruptâqve iterum Monasteriensi pace, onera stipendiaqve belli populo Palatino imponerent, pasimqve damna & vastitatem inferrent. Qvare Cæfaris cohortes subsidio veniunt, Saxoqve ex formulâ Egrani fœderis auxilia misit, & Filium Johannem Georgium, Baronemqve Christianum Ernestum Kannium cum expeditâ manu versus Rhenum movere jussit: iis ad resistendum profectus est Bellivisus tribunus Gallicus, qvi repente celeriterqve excitis Philipsburgô & Landaviâ manipulis, numerum suorum valdè auxit, Cæfareosqve & Saxones, qvi ad defendendum Palatinatus limitem venerant, apud Maudachium adortus, speraverat eorum consilia profectionemqve posse interverti, si ex inopinatô ipsos invaderet, impetuqve uteretur. Tum præfctus militiæ Generalis Caprara occurrentum ratus, ad sustinendam hostis vim sese comparavit, & prom-

promptō Saxonum auxilio usus est, Lo  
tharingosqve alacres adjutores habuit  
Utrorumqve enim fortitudo maximē ib  
spectata est, Saxonum præcipue, qvorum  
dura initia ipsis in laudem verterunt : iis a  
liqvanto post discriminē pugnæ supervenit  
Dunewaldius, à Duce Bournonvillæ mis  
sus, qvi hostes commissò certamine acerri  
mō dilapsos perseqveretur : sed hi jam e  
vaserant, multis in acie desideratis, & ple  
risqve etiam, inter qvos ipse Bellovisus  
fuit, fauciatis. Eā spe frustrati Galli, cu  
mulârunt superiores injurias, ultionisqve  
cupiditate magis incensi, invisum sibi Pala  
tinatum multo & variō crudelitatis gene  
re diripuerunt, & vicos villasqve igni  
cremârunt, nec minùs oppidorum arc  
umqve fundamenta subruere, passimqve  
solitudinem facere cœperunt. Inter  
has populationes de arcendō hoste con  
siliū capitur, qvum nunciatur, Tu  
renium, trajectō apud Philipsburgum  
Rhenō, Wiselochium intercipere sta  
tuisse : in qvō cum sociis permultum  
esset situm, censuerunt minimē sibi  
com-

committendum, ut ab hoste in potestatem redigeretur. Erat tunc in castris minor verò fama de viribus numerōqve copiarum Turenii, unde fiducia eos subiit praelii conserendi, qvod senior Lotharingiae Dux, qvi per exploratores subinde res hostis cognoverat, dissūasit qvidem, rationesqve periculi demonstravit, sed qvia Capraræ, spe reportandæ victoriæ sublato, longè alia ratiō constituta erat, è re belli socialis fore duxit, si armis experiretur, impetumqve hostis confestim sineqve morā inhiberet. Igitur apud Sinsheimium, oppidum inferioris Palatinatus, commoditate loci aditusqve opportunum, congreſſū, acriter pugnārunt, imprimis cohortes sociæ magnâ audaciâ impetuqve in Gallos irrulebant, contraqve tormenta ab iis disposita progresſū, vim globorum confertissimè cadentium excipiebant: inde à ferentariis, qvi cum sclopis majoribus in proximō latebant, incessibantur, jamqve in apertum discrimen conjecti socii, non modo ex iniqvō locō dimicabant, sed etiam videbant, hosti se multum

tum esse impares, receptumque circumspicere oportere, præsertim quum equitatus ob loci angustiam hortorumque sepes, quæ illi objectæ erant, explicare se non posset. Ex quo factum, ut non levidamno affecti retrocederent, salutique suæ consulerent : pars Heidelbergam, pars Francofurtum profugerunt, Caprara & Lotharingus Heilbronnam se receperunt. Post haec Burnonvillanus, qui copiis apud Rhenum cum summô Imperio præerat, Francofurtum pervenit, egressusque hinc cum cataphractis & peditatu movit in Palatinatum ad res instaurandas, sed nihilo tunc prosperior belli gerendi ratio fuit, Tureniusque recentibus auxiliis, quæ ex Lurgundiâ atque Lotharingiâ adventerant, firmatus, viribusque rursum superior, more suo consiliis Bournonvillani Ducis prævertit, & ad invadendas ejus cohortes quantâ potuit festinatione, contendit : eò tempore curâ Dunewaldii, qui speculandi causâ abierat, effectum est, ut Bournonvillanis daretur spatium se recipiendi, qui posteaquam evaserant,

Dunewaldius distinendis cohortibus fessus, excitasqve contra se eqvitum turmas conspicatus, planeqve resistendo impar retrocessit, hoste eum non inseqvi ausō, qvōd rationes Gallicæ non patiebantur, ut concepto vicinorum animis odio in Gallos acriores stimuli adderentur: qvandoqvidem sentiebat hostis, Austrios his rebus Principum animos ad se inclinaturos, ut non solum proportione, qvam jure beneficiariō Cæsari imperioqve deberent, qvamqve constaret esse talem, ut per eam Gallica amicitia non dissolveretur, auxilia submitterent, verūn etiam plures cohortes copiasqve conducerent, fœdere qve cum Cæfare sociisqve ictō definerent esse mediūneutriqve parti conjunctū. Qvā res, postqvam longē aliter evenit, tam molesta invisaqve Gallis fuit, ut iratis percitisqve animis præter jus & contra eventorum fidem affirmarent, specie defensionis imperii Principes illici circumagiqve ad Cæsarī nutum, ut simul cum Gallorum amicitiā, vetus fundataqve libertas ipsis eripiatur. De

cæterò nil prætermittebat Turenius, qvōd  
cùm è re suâ, tum è ratione belli duceret,  
fortunam suam modestè ferens, etiam isto  
temporum statu, qvō dilapsis sociorum  
manipulis in acie constitit, atqve his rebus  
notum testatumqve esse voluit, eos acce-  
ptâ clade diffugere coactos, qvos tamen  
pugnâsse fortiter, ipse ultrò fassus est, &  
temere loquentes coarguit, futuri provi-  
dus, nec intempestivè recordatus, eos, qvi  
jactantius dicerent, nondum explorâsse sa-  
tis vires & animos Germanorum, qvos non  
forditudine, sed numerô duntaxat pu-  
gnandiq; opportunitate præstisissent: præ-  
terea tot militum suorum, qvi ceciderant,  
jacturam miserari consuevit, eamqve præ-  
cipue ob causam gaudiô non sincerò est  
affectus. Verum enim verò socii, amissâ  
ibi felicis successus spê, in Alsatia tentant  
fortunam, atqve in bellum majoribus vi-  
ribus gerendum incumbunt: eò contra-  
ctis undique auxiliis, contendunt Cæsa-  
rei atqve Lotharingi, & acceptis ex fo-  
dere Luneburgicis ac Monasteriensi-  
bus, ascitisqve Palatinis & imperiali-  
bu

bus cohortibus, versus Argentoratum  
movent: Ubi cum periculum haud par-  
vum a Vaubrunio impenderet, populus  
urbis in metum suspicionemque pronus  
censuit, uti Rex Galliae pro hoste habere-  
tur, postulataque legati Cæsarei, quæ ple-  
risque proceribus ambiguam belli fortu-  
nam reputantibus displicebant, approba-  
rentur. Qvibus modis Rheni aditus,  
quem Galli intercipere cupiebant, sociis  
apertus, praesidiisque firmatus est, quod  
non modice conturbavit Vaubrunium, qui  
quantum in eō transitu Regi suo fitum es-  
set, stimabat. mox cum penitentia su-  
biit, quod morâ corrupisset consilii fru-  
ctum, Cæsareisque præveniendi se spati-  
uni dedisset, quo futurum esset, ut vicina i-  
sta mediaque partibus urbs a Rege, cuius  
erga eam antehac voluntas propensusque  
animus fuerat, repentinâ vi impetuque ab-  
alienata, commodis Gallicis obstaret impo-  
sterum conatusque isto in limite obni-  
teretur: eō loco cum res esset, commea-  
tus difficultas hostem maxime sollici-  
tum habuit, totaque bellî moles in eam

regionem incubuit, magnusque ardor  
fuit militum, quum tempus & res prælii  
conserendi occasionem darent. Turenii-  
us castra metatus est inter Enzheimium  
atque Holzheimium, inferioris Alsatiæ pa-  
gos, instructaque acie copias sociales ex-  
pectavit. Neque his erat causa differen-  
dæ pugnæ, cum urgere hostem, interclu-  
dere que aditu ad superiorem Alsatiam  
vellent, quos conatus astu militari elusit  
Turenius, objectaque sylvâ, cui munitio-  
nes castrenses prætendebantur, loco diffi-  
cili ad se invadendum, nec satis Fœdera-  
tus expiatorio constulit, unde multa da-  
mma socii acceperunt. Ibi Dux Ploënen-  
sis præsenti animo pugnavit, magnaque  
in difficultate fuit, quum Bournonvillla-  
ni, qui integris viribus prælii aleam  
spectabant, non succederent defatiga-  
tis Luneburgicis, quos ea pugna valde il-  
lustravit, quod cum veterano cautoque  
milite diu multumque decertarunt. Si-  
mul Lotharingi manifestum discrimen  
subierunt, parique constantia & impetu  
maximo dimicarunt, quorum spectatae  
for-

fortitudinis recordatio præcipue Geor-  
gio Gvilielmo Duci Luneburgico perju-  
cunda fuit, Turenioqve hosti laudem ex-  
pressit. Nec audacia, neqve animus Mo-  
nasteriensibus defuit, qvos Baro Vedelius  
subsidio adduxit, laborantibusqve in tem-  
pore supervenit. Totô illô tempore, qvô  
congrediebantur, pluvia dimicantibus  
permolesta fuit, præsertim hostibus, qvos  
cùm lubrica vestigia fallerent, impromti  
& ad incessendum sociorum agmen tardio-  
res reddebantur. Locus ejusmodi erat,  
ut eqvitatus omnes suas vires commode  
explicare non posset, peditatus autem Cæ-  
farei præcipuum robur ad pugnam non  
admovebatur, qvanqyam Werthmulle-  
rus subsidio venit, omnemqve culpæ  
suspicionem effugit : alii contraria  
Bournonville Ducis mandata causa-  
bantur, rejectâ in Lobkowitzium invi-  
diâ, quasi is auctoritate heri sui abutere-  
tur, & impediret, qd minùs dimican-  
di opportunitate uterentur : sed qvia id  
minime tutum fore existimabant foede-  
tati, sensim recedentes, auxilia Branden-

burgica expectabant, rursus hostem laces-  
funti: qvō tempore varii rumores sparge-  
bantur, magnaqve spes erat intrandæ Lo-  
tharingiæ, ac Brifaci intercipiendi: contra  
Turenus cautè omnia ad resistendum  
comparare, pluresqve cohortes accire, Re-  
gemq; solicitare pertendebat, ut haberet,  
unde adventantibus Brandenburgicis co-  
piis obsisteret, qvippe à qvibus præcipue si-  
bi timebat, et si longè aliud præ se tulit, pa-  
lamq; nec sine Dorfflingi infectatione dixit,  
eam expeditionem sine metu atq; periculô  
suô omissum iri. Interim Regi significavit,  
qvantum in discriminem copiæ suæ vocaren-  
tur, si tot fœderati hostiles exercitus armis  
secum experirentur: itaq; operam dedit,  
ut Brandenburgicus à societate militiæ a-  
verteretur: eō consiliō missus est Hol-  
miam Feuqvierius, qvi efficeret, ut  
Brandenburgicus retraheretur in Mar-  
chiam, prorsusqve distineretur. Id ve-  
rò eum haud leviter pungebat, præser-  
tim qvùm literæ ab Rege Svediæ mitte-  
bantur, qvæ eam in sententiam scriptæ  
erant, ut intelligi posset, non passuros

Sve-

Svedos, ut Brandenburgico trans Rhenum bellandi facultas esset: qvam regis ejus voluntatem Wangelinus quoq; propositis ultrò citròque rationibus, indicaverat, ut belli contra Gallos gerendi opportunitas amitteretur. Qvod Brandenburgicus ita accepit, qvasi libertati suæ adversaretur, qvasique id eò spectaret, ut Principes Germaniæ vim & injurias Gallorum perferre deberent: nec multò pòst dimisit ad Svedos Christophorum Brandium, qvi de animo & voluntate ejus rectissimâ commemoraret: cumq; intelligeret, regem Svedorum in se recepsisse negotium impediendæ expeditionis ab se suscepitæ, magnò studiō Cæsarem sibi conciliavit, & per Laurentium Georgium Krockovium Vindobonæ solicitavit, ut in re causâq; imperii opem auctoritatēnq; sibi præstaret, tanquam is, qvi supremo & conservandæ & vindicandæ pacis munere fungeretur: ex qvô factum est, ut re infectâ retrocederet, subitaq; & inexpectata rerum commutatio fieret, totaq; Alsatia, relicto ho-

stibus liberō aditu, destitueretur, ex eō  
qve multæ & variæ difficultates fœderatis,  
ac metus etiam urbi Argentoratensi auge-  
retur neqve minor esset trepidatio finiti-  
marum regionum præcipue Palatinatus,  
qvi jam prorsus in iuriis Gallicis parebat,  
fœdumqve in modum incensus est ac de-  
vastatus: perinde ac si hæc una & expedita  
esset via ad pacem Germanis extorquen-  
dam. Dum verò suam & Fœderatorum  
principum fortem miratur Alsatia, Lotha-  
ringus, qvi ad custodiendos superioris Al-  
satia aditus stativa habuit florem Gallicæ  
nobilitatis in Alsatiam tendentis attrivit:  
ex septingentis, qvorum ductor erat Sa-  
bleus, pauci ad suos dilapsi sunt, reliqui  
cum acriter resisterent, partim cæsi, par-  
tim capti. Nec multò pòst Hennin-  
gus, tribunus Brandenburgicus ma-  
gnam supellectilis argenteæ partem  
Gallis eripuit, plenisqve corum, dum  
vagabantur incautiis, pabulatumqve  
ibant, oppressis. Sed qvanqva n res  
eò deductæ erant, ut cum Turenio sum-  
mis copiis decertari posset, præoccupa-  
tiqve

tiqve in transjurana Burgundiam aditus, qvos superior Alsatia aperit, viaqve in Lotharingiam, qvæ per inferiorem Alsatiam aditur, dispositis ad fines tenuendos stationibus, communita satis judicaretur, ratioqve insuper Hybernorum eæ in Regione habendorum conficeretur, aliquantò pòst res consiliaqve ita sunt iminutata, ut fœderati magnis itineribus subsidio profecti, velut salutis suæ causa trans Rhenum reverterentur, Turenioqve auxiliis ex Lotharingia nuper missis, Condænisqve cohortibus recens firmato, spatum darent oppida aditusqve omnes recuperandi : qvod postea accidit, qvam Fœderati non unam prælia apud Turckheimium ineundi rationem seqverentur, qvam inde pendebat fere Brisaci fortuna, occasioqve tam luculenta negligebatur. Cæsareis propositum erat, servare robur, casusqve ancipites vitare, ne, si necessitas defensionem postularet, ullò tempore impares imparatiqve essent : Brandenburgicus longum iter novasqve difficultates ab ergo ortas, auctasqve

nuper Turenii vires : & præoccupandi ab eo versus Selestatum Argentoratumque reditus suspicionem animo agitabat, contentus satisfecisse fortunæ, alienâ culpâ impeditæ. Luneburgici prompti ad pugnam, cum Holsaticâ & Mollisonicâ cohortibus se in hostem fortissimè inferebant, cupiebatqve Dux Holsatiæ summis viribus experiri, consiliumque liberandæ Alsatiæ confectum dare, qvod cur secus fieret, suspecta Turenii calliditas, destinataqve locorum, per qvæ recedendum erat. præoccupatio, Fœderatorumque dissimile consilium efficiebat.

Nec feliciùs res bellica administrata est apud Belgas, ubi Condæus copias suas, qvas Fœderati in æquiorem pugnæ locum venire cupiebant, castrensi sepimentō diligenter præmunit, tantisperqve continuit, dum invadendi Batavos occasio sepe daret : qvod Legiones Souchianæ aliquantò longius progressæ fuerant, qvam Auriacum, qvi medium aciem duxit, secutæ ponè ali-  
qvot

qvot cohortes , viam angustam impedi-  
tamqve transibant , in qvas Galli summō  
impetu irruerunt, optimāqve impedimen-  
torum parte exercitum multārunt: Auria-  
cus de periculō commonitus , adventu suō  
labantem aciem firmat , Souchiumqve ad  
prælium advocat : Sed qvia is omittā festi-  
nandi auxilli opportunitate , totas vires  
in hostem non convertit , tergiversantis  
suspicionem fœderatis præbuit, qvanqvam  
aulæ se purgavit, causatus , mandata se ac-  
cepisse non tam ad invadendum hostem,  
qvām ad defendendas copias suas , au-  
ctore , ut qvidem credebatur , Lobko-  
witziō : utcumqve autem id sit , constat  
offensos fuisse Belgas , præfertim qvūm  
videbant , bellum ab sociis majori appara-  
tu , qvām viribus geri : neqve eo secius  
de receptu Hispanici eqvitatus qvereban-  
tur , qvi impedimenta destituisset. In eō  
conflictu Auriacus insigne militiæ speci-  
men dedit , Europæqve ostendit , animo &  
factis majorum fortunam æqvare posse : si-  
mul utsqr; Mauritius , & Henricus Cas-  
mirus Nassovii principes , fortiter arma

contulerunt, itemque Georgius Fridericus Valdeccius, instaurator disciplinæ castrensis egregius, durandisq; bello tyronibus bene de eâ republicâ meritus, q; vi etiam si tribus vicibus sauciatus erat, tamen non excessit ex acie, restitutq; constanter, donec vulneribus confectus, sanguineq; copiosè emissò respersus, propeq; exanimo similis ex periculô captivitatis ægrè evaderet: Souchius q; voq; licet totum robur non explicaret, prælio se non subduxit, parique virute pugnarunt, Hispánicus dux Villæ Pulchræ, Carolus Lotharingus & Vaudemontius, egregiâ principes famâ: Dux Holsatiæ Joachimus Ernestus cum multis tribunis gregariisq; captus est, Assentor Marchio Hispánicus, ducto in hostem eqvitatu, cecidit, cæforum q; voq; aliorum & sauciorum ingens numerus fuit, plurimiq; tyronum Batavorum diffugerunt; q; vi postea collecti rursus, moreq; militari partim multati, partim ad officium sunt reducti. Hispanis quidem fortes ac strenui præfecti non deerant,

iiq;

iiique haud nesciebant, patrimonium sui regis peti, subsidiumque & auxilia foederatorum præcipue ad Belgii Hispanici defensionem pertinere, sed fortuna sæpe adversa instructos eorum ordines ita urgebat, ut subitâ aggressione locique difficultate conturbarentur, quod ab ignaris plerisque criminis datum est, quasq; tñdem bellici foederis non seruassent. Gallorum, inter quos etiam Otto Gvilielmus Konigs-marcius, cohortesque Helveticæ strenuè pugnârunt, non tanta quidem jactura fuit, nec pauci tamen eorum Helvetiorumque desiderati sunt, cauto utique Condæo, dum & initia, & extrema prælia præoccupatâ loci opportunitate sollicitè moderabatur. Pugnâ hâc apud Sennam consertâ, rex Galliæ cum passi distincteri se videret, graviterque fortunam suam ferret, in eam sententiam adductus est, ut statueret nobilitatem regni ex plerisque provinciis exciri opertere, quæ suis subsidio profici:ceretur: Sed, ut fert sociorum consuetudo, non iusden semper consiliis, nec æqvis

æqvis viribus omnia perficiebantur, pau-  
loqve pòst obsidio Aldenardæ, nullâ re  
confectâ, solvebatur, postqvam Condæus  
præ se ferebat eam propositi rationem, qva-  
si denuò manum conserturus esset, ut fœ-  
deratos de institutô obsidionis dimove-  
ret: qvod feliciter evenit, qvum fœdera-  
ti non modo ab obsidione discésserunt, ve-  
rum etiam ob præriperiendi itineris anno-  
næqve periculum regressæ Gandavum,  
hyematum ire cœperunt, qvô factum est,  
ut qvemadmodum in superiori Alsatiâ  
Turenius, ita jam in Flandriâ Condæus res  
suas salvas haberet, ducatusqve Lim-  
burgensis posthac in Gallorum potesta-  
tem veniret. Fuere, qvi suspicarentur, F.  
Belgas è re suâ duxisse, ut Aldenarda ditio-  
nis Gallicæ maneret, ne belli rationes diffi-  
ciliores fierent, si rediret in potestatem  
Hispanorum, qvæ cum superiori pace  
Aqvisgranensi, ab Hispanis Galliæ regi  
cessâ esset, tum ab se pro conditione  
præsentis belli postulari non posset, ut  
cum periculô suò efficerent, qvo e-  
am Hispani recuperarent, præfertim  
qvum

quum Anglus adhoc studebat Gallis, credebaturque non temere, mari ipsorum vires & consilia fovere, adeo ut expeditiones navales in Americam Siciliamque post suscepitos eventus minimè latus subsequeretur.

Interea Cæsari reconciliatus est Episcopus Monasteriensis, pace inter eum Fœderatosque Belgas XXII. April. hujus anni conventâ, cuius hæc fere capita fuere: ut superiorum injuriarum perpetua oblivio esset: deinde ut pax Westphalica & Clivensis de integrô firmarentur: tum ut castra arcesque occupatae Lingen, Lichtenfort, Borckelo F. Belgis restituerentur: simul dynastia Werthensis Georgio Friderico Comiti Valdeccio, cum cessione omnis imposterum juris, redderetur: nec non Comes Bentheimensis omnibus privilegiis & juribus nomine Imperii ad se pertinentibus frueretur: denique initæ hujus pacis Cæsar Hispanusque sponsores essent. Similiter inseqventi mense inter Colonensem atque Fœderatos Bel-

Belgas his ferè conditionibus pax facta est : ut vera amicitia firmumque fœdus inter utrosque servaretur : omnium damnorum offensarumque memoria deleretur : dehinc armis erupta in eum statum, quō antehac in ditione F. Belgii fuissent, sine ullâ exceptione restituerentur : tantum Rhenoberca, castrum in eō limite situ operibusque validum, illi & Germanico Imperio propter Diocesin Colonensem, ad quam antiquitus pertinuit, postliminiō redderetur, iterumque inneceteretur : negotium de solvendis tributis redimendisque captivis per delegatos utrinque constitutos componeretur : demum ut hæc conventa præstarentur, auctoritatem fidemque suam interponerent Cæsar & Rex Hispanorum , cessarentque in posterum actiones hostiles à tempore ratæ habitaæ hujus pactionis, quod accidit V. Non. Maji mensis. Dum hæc feliciter aguntur, hæsitat fortuna Hispanorum in liberò Burgundiæ Comitatu , cuius aditus, præmissō ab Rege Navailliō , occupatus est, quando Hispani fines illos ducento

cendo bello peropportunos sufficienti  
præsidiō non firmaverant, qvibus post  
expugnationem Grayi perruptis, nullō  
prohibente, Vesontium usqve tendebant.  
Eos Rex ipse subsecutus, magnis viribus  
Vesontium, urbem cæteroqvi situ & arte  
munitam, nec annonæ indigentem tenta-  
bat, munitionesqve summō impetu frago-  
reqve tormentorum qvatiebat : itaqve  
Vaudemontius, qvi urbi præerat, æsti-  
matâ periculi magnitudine, dditionem  
pactus, in proximam arcem se recepit,  
ubi non minore vi petebatur, nec recusabat  
adire ingens periculum, perferreqve obsi-  
dionem, si ulla qvidem mittendi auxilii  
spes fuisset, qvod cùm sciret, non futurum,  
qvemadmodum cupiebat, statuit dedere  
arcem: qvum enim Rex plenum periculi  
variique discriminis bellum cum animo  
cogitaret, itinera viasqve versus Germaniæ  
fines tempestivè obsedit, conniventibus-  
qve pro more Helvetiis, qvi per fidem  
amicitiæ patrociniiqve semel & itererū  
rogati, sese ne moverunt qvidem, auto-  
ritatemque per largitiones imminutam

Gall.

Gallicis molitionibus minimè opposuerunt, quasi hoc neutrius partis studium exigeret, ut postulatis Gallicis acquiescerent, Comitatumque, quem ex pacto antehac tuendum suscepserant, Hispanis eripi paterentur. Eò magis, quod Rex castra arcesque ipsorum Regioni finitimas occuparet, præsidioque firmatas ad obsequii fidem jurejurando adstringeret, nec vanam formidabilis potentiae suspicionem augeret, aditumque ad infestandas etiam quatuor civitates Sylvenses communiret. Itaque Vaudemontius extrema quæque ab Rege, urbes obstinatè circumcidere solito, metuens, negatōque apud vicinos auxilio, defensionis incepto destituit, arcisque deditionem X. Eid. Maj fecit. Inde ad Regem deductus, multisque datis benevolentiae significationibus, comiter acceptus dimissusque Lutetiam Parisiorum pervenit, atque hinc Bruxellas, obitō fideliter munere rediit, Princeps virtute magnorumque operum fama egregius, nulliusque culpæ arguendus, quod Vesontium periculo eximere non potuit, siquidem

dem in ejus potestate non fuit, ut sine cohortibus subsidiariis, qvas sperare non poterat, hostis viribus commeatuqve & instrumento bellicō abundans, duorumqve montium, ex quib[us] maxima globorum vi arx verberata est, opportunitatem nactus ab obsidione, tanto operæ sanguinisqve impendio suscepta, depelleretur. Tum Dolam, urbem arce mœnibusqve, & propugnaculis firmam, Senatusqve Juridici & Academiæ luculentam sedem, castra promovit, urbemqve ab omni subsidiorum spe desertam non sine insigni suorum janiturā expugnavit : mox eandem Fortunam secuta est Salina, cæteraqve Burgundiæ Comitatus oppida arcisqve victoris impetum minimè sistere potuerunt, fidemque regi jurejurandō obligarunt, suspensis admiratione animis, qvòd Helvetii spe præmiisqve illecti non æstimarent, qvale id esset novum servitutis auctoramentum. Etsi enim Germaniæ Episcopi jam à partibus Gallicis discesserant, Angliae qve Rex cum F. Belgis Hispanorum interventu redierat in gratiam,

am , tamen Galli novas subinde occasio-  
nes arripiebant , qvibus res Austriorum  
deteriores redderent , & bellô factioni-  
busque in Hungariâ Siciliâqve concitatis  
perniciem cladesque inferrent, Poloniām-  
qve necessitudinibus studiôqve sibi con-  
jungerent , ut hæc qvoqve expedita esset  
ratio nocendi Austris , nominatimqve Cæ-  
sari , qvippe qvi non poterat negligere for-  
tunam Hispaniæ , ex cuius calamitate &  
ruinis commoda incrementa qve cape-  
re Gallis consilium erat. Qvancvam au-  
tem sub hoc tempus res Gallicæ in finibus  
Catalaunicis periculo propiores videban-  
tur , nihiloqve minor trepidatio cœpit ,  
qvum classis Belgica in continentem ex-  
censura , maritimis ejus regni incolis in  
conspectum venit , paulòqve pōst expedi-  
tio navalis versus Americanas Gallicæ di-  
tionis insulas suscepta est , tamen non mul-  
tò pōst status belli in Comitatu Ruscino-  
nenſi virtute vigilantiâqve Schombergii  
valde immutatus est , exhaustis ob longin-  
quitatem loci difficultatesque alias Hi-  
spanorum viribus , nec felicius littorum

Gal-

Gallicorum oppugnatio tentata est , ut nulla deinceps nova ratio talis incepti perficiendi iniretur , postqvam Amstelodamī , & alibi passim querendi occasio sumpta est ob impensas inutiliter factas , atqve ob cladem etiam , præcipue in Americæ littoribus , acceptam , qvando Gallici præfeci de proposito hostium submoniti , oram marinam strenue propugnarant . Alioquin domi F. Belgii generales ordines de summovendis aditu hostibus , de qve firmandā , & in antiquō statu sistendā republicā diu multumqve consultarunt , magnōqve armorum apparatu majora ausuri videbantur , & terrā mariqve providebant , ne ditionis suæ populus , superioribus irruptionibus vexationibusqve debilitatus , detrimentum caperet , totusqve adeò Belgii status , qvi dimissis ex urbe Neomagensi , Arnhemio , Zutphanlā , propugnaculōqve Schenckianō hostilibus præsidiis , se finesqve suos melius tutari poterat , novo periculo implicaretur . Qvō tempore Fœderati ordines populusqve censuerunt ,

runt, ut Auriacō hæreditariam F. Belgii præfecturam, in omnibus ejus virilis sexus posteris continuandam traderent, meritisqve ejus hoc tribuerent, qvod nulli qvidem ante eum fuerat concessum. Ad hæc exempli causa Groningæ Omlandiaqve Ordinibus præmium fortitudinis navatæqve bello operæ decreatum est, ita ut in Senatu, qvi status dicitur, duo imposterum suffragia, eodem planè jure, qvō Geldria, occidentalisqve Frisia, & Seelandia, haberent: de cetero Geldriâ, Ultrajectum & Transfusalania pristinum jus veteremqve dignitatem recuperasse satis haberent. Neomagi privilegia in aliud tempus rejecta sunt, qvæ postea interventu Auriaci instaurari confirmariqve cœperint, sive ut hoc constantiæ ipsius, qvō belli Gallici in fines Hollandiaæ trajecti cursum stitit, rependeretur, sive ut exploratae fidei honoriqve publicum hoc testimoniūm tribueretur, sive ut eō beneficiō virtus illius populi magis confirmaretur, præsertim eō tempore, qvō res ita

po-

postulare videbatur, ut ea urbs, qvæ pacis illic redintegrandæ spe omnium animos jamdiu tenebat, pristinis dignitatibus ornaretur, & propter Legatos etiam, qvi illuc ad procurandam Europæ tranquillitatem convenerunt. majori splendore amplitudineqve afficeretur. Nec minor tunc recuperandæ Graviæ cura fuit, ut constitutis securitatis Brabantia rationibus, limes versus Trajetum ad Mosain, qvod cum præsidio Gallicō tenebatur, firmus munitusqve esset, patrimonioqve Auriaci pariter & Reipublicæ consuleretur. Oppugnationis tentandæ negotium Carolo Rabenhauptio datum est, qvi oppidum operibus aggeribusqve validum magnis viribus premebat: illud cum Imperio tenebat Chamilius, qvi magnâ vi tormentorum crebrisqve eruptionibus multos obsidentium confecit, adeò ut propter adversos rerum successus aliquando ea obsidio in invidiam vocaretur, qvæ fortuna erat Rabenhauptii, ob belandi gloriam multis, ac præcipue æmulis,

lis, exosi : donec Chamillius de omni  
spe summittendi auxiliī dimotus , per-  
qve exploratorem ab Rege præmonitus ,  
ut minimè ultima expectaret , honestis  
conditionibus discedendi potestatem  
pacisceretur. Gloria ditionis Au-  
riaco servata est , qvi ad urgendam obsi-  
dionem cum Duce Lotharingiæ juniori ,  
Valdecciō atqve Rheingraviō in castra  
ad eqvitaverat , Montaliumqve oppido  
laboranti opitulaturum anteverterat , ut  
jam intelligeret Chamillius , res suas  
qyotidie deteriores fieri , qvæ non pate-  
rentur , ut obfessoribus diu pertinaciter-  
qve resisteret , præsertim qvùm eō locō  
erat , ut non magis cum hoste , qvam cum  
annone inopia conflixtaretur. Igitur  
ex pastō ritu militari conventō , XIX.  
Octobr. cum suis egressus , oppidum Au-  
riaco tradidit , atqve ab eō comiter acce-  
ptus , publicâ fide Caroloregiam discessit ,  
tantō qvidem F. Belgii gaudiō , ut festis  
ignibus faustisqve acclamationibus ef-  
fusè certatimqve ea expugnatio cele-  
braretur : propterea qvòd nūc ita su-  
perio-

periorum rerum facies immutata erat, ut fœderatæ provinciæ, qvarum tres nuper ipsis eruptæ, ad id tempus à Gallis relictæ, rursusqve conjunctæ interse & colligatæ, novisqve viribus suffultæ fuerant, prope modum extra periculum esse viderentur. Verùm Ruyteri apud Americam in hostium excisionem facturi consilia emanârunt, fuitqve hoc tale, qvamobrem nullâ re confectâ reversus, in Senatu Hagiensi se excusaret, qvoniam exponendi militis opportunitas ab hoste, qvid propositi ejus esset, commonitô fuisset prærepta.

Hispani dum fiduciâ fœderum pro defensione Belgii nitebantur, insignem patrimonii partem trans Juram amittebant, videbantqve passim tales difficultates, ex qvibus ipsi se viribus suis expedire non poterant, qvum res in Siciliâ præcipites ibant, ægræqve post fortunam in Catalauniæ finibus sustentabant : pariterqye & molestum & acerbum iis accidebat, qvum Svedos jam ante suspestos, ab sociô Brandenburgicô dissidere animadyertebant, nec sine causâ vere-

bantur, sarciri inter eos concordia amicitiaque possent : superiorum habitus consiliorum, fœderisqve inter eos icti interpretatio discrepans, studiaqve planè diversa, armaqve etiam in finibus à populô Martiô, pacisqve impatiens ostentata metum curaniqve intendebant. Qvæ cogitatio eos minimè fecellit, qvando Danum per Batavos conciliatum, matûrò consilio traxerunt in partes, propositisqve futuri belli commodis, si pacem Svedi rumperent, in ultionem, qvam is expectatâ cautè occasione differebat, extimulârunt. Præterqvam yero qvod tunc tardè stipendia persolvebant, rationes quoqve difficiles inibant corrugandæ pecuniæ, qvam sociis, præcipue Luneburgicis, recenti fœdere conjunctis dependi oportebat, nec minor cura erat satisfaciendi Dano, qvi in eandem sententiam sese cum F. Ordinibus obligarat. Interim Monteregius magnâ ratione solertiaqve munia sua obi- bat, nullasqve occasionses & causas firmandas Hispanorum fortunæ negligebat,

bat, subiectumqve pòst classe argentum,  
atqve ad se missum ex fide diligenterqve  
curabat.

Angli pace cum Batavis redintegratâ,  
ad suscipiendum conciliationis negotium  
sese comparabant, Svediqve eandem pa-  
cis curam præferebant, & ut locus tra-  
ctandæ huic rei condiceretur, maximopere  
flagitabant, sed Austrum Danicumqve  
& Brandenburgicum itemqve Lunebur-  
gicum foedus qvasi obicem consiliis de re-  
ducendâ pace objectum suspiciose argue-  
bant. Fœderati Ordines placere sibi pro-  
positum teitati, Legatum Auglie Regis  
Templium comiter appellârunt, lauda-  
tâqve ejus voluntate & amicitiâ, gratiis-  
que pro officiô actis affirmârunt, nil pri-  
us sibi esse in votis, qvàm ut æqvô jure  
fœderatarum provinciarum pax instaura-  
retur. Ehrensteinio Svedico, studium su-  
um frustrâ pro pace consumptum qvesto, in  
eandem sententiam responderunt, non es-  
se, cur sibi metuat, agi destinari e à se ho-  
stile aliqvid, cum de suô in pacem animô  
omnes sciant, præterea docere acta con-

ventus Coloniensis . qvām suas quoque  
in hāc communī causā partes egerint te-  
tatumque fecerint , qvid suæ sit volunta-  
tis : Sed Regis Galliæ longè aliam fuisse  
mentem , qvam postulatis libertati suæ ad-  
versis , conditionibusque multò iniquissi-  
mis proximè declarāsset : qvare hanc sibi  
fuisse causam , cur nova fœdera inirent ,  
qvæ Regi Svediæ non possint esse fraudi , si  
nil contra se fœderatosq; suos sit facturus .  
Ex qvō intelligebant Svedi , pacem , de qvā  
tot fœderatorum consensu in posterum sta-  
tuendum esset , multò magis perplexam  
tore , & qvām id votis suis contrarium es-  
set , indicabant , exemplumque fœderis  
cum Danō icti edi cupiebant , haud ignari  
cum eō talia agitari , qvæ ad dividenda  
studia destinationesque suas impedien-  
das dirigerentur . Contra F. Ordines su-  
pervacuum rati , communicare formu-  
lam fœderis , qvod ad neminis injuriam  
spectaret , per delegatos liberè sineque  
tergiversatione Legato significarunt , si  
qvenquam suorum fœderatorum pete-  
rent armisque distinerent , aut transitu  
milita-

militaribusque hospitiis etiam damna ac molestias afferrent, arma in eos vertere decrevisse. Quæ dum agebantur, facile cognitum est, Svedos quidem serio de pace cogitasse, sed studio præfervidos, nec dum conventâ satisfactione, eam confidere voluisse, quod consilium Fœderati pro Gallis suscepturn minimèque sincerum interpretabantur. Apud Regem Galliæ mortuo Tothio, instabat Sparrius, ut facienda compositionis causa diligenter serioque eniti vellet: eandem in sententiam Vindobonæ Pufendorffius Cæsarem interpellabat, mox Benedictus Ochsenstirnæ, cuius adventus maxima expectatio erat, cum extraordinarii Legati dignitate missus, sollicitè & graviter hoc egit negotium, præfatusque Regis sui amicitiam atque studium in Germanos, operamque paci navatam, eum enixè cupere pronunciavit, ut bellum nuper inter Gallos Batavosque cœptum primò quodque tempore æquis & tutis conditionibus finiatur, Germaniæque cum primis eō nomine periclitanti unâ consulatur: tum existimare

Regem, repetendo conciliationis munere Coloniam rursus peropportunam fore, quæ si tamen decommuni sententiâ non placeat, Hamburgum videri transigendis controversiis idoneum : dummodo ii, quorum intersit, tales pacisendi leges taliaque postulata afferant, quæ obtainenda paci prorsus non adversentur. Eumque tanto magis in spe esse conficiendi negotii, quod Rex Galliæ, mutatâ jam belli causâ, & Germaniæ pacem & læsis satisfactionem offerat : de Hispanis nil difficile futurum quippe qui pactorum cum Batavis conuentorum fidem jam tum liberâssent, cætera quæ occasione pacis Aqvisgranensis decidenda restarent, cum de pace tractaretur, confectum iri : F. Belgas eò loco atque fortunæ conditione esse, ut æqui juris libertatisque receptæ, ac denuò firmatæ patientes sint, nihilque ultra concupiscant, quorum omnis ratio in pace honestâ commerciisque profutura versetur : Lotharingiæ quoque Ducem hoc benevoli Regis Galliæ animi signum esse habiturum, ut non modò recuperandi du-

catus

catus ei spes sit, sed etiam legatis ejus fidē  
publicā caveatur, ad conventum pacis  
causā instituendum securè venturos: tan-  
tum id ab æqvitate Cæsarī sperare, ut  
Princeps Fürstenbergius ē custodiā dimit-  
tatur: itaqvē ē ratione conseqvendi hu-  
jus instituti ducere, ut induciæ pangantur,  
qvæ permultū valeant ad animos pace  
rursum conjungendos. Ad hæc ab Cæ-  
sare responsum est, intelligere se studium  
curamqve pro pace susceptam, nec ullā in  
parte ei obniti, sed velle seriō constanter-  
qve postulare, ut fiat pax eaqve bona, fida  
& perpetua, qvæ omnium partium bello  
dissidentium causam attingat atqve com-  
plectatur: sed qvamobrem id hactenus ef-  
fici non potuerit, culpam in rege Galliæ re-  
sidere, ut qvi proximè impedivisset, quo  
minis duci Lotharingiæ, suo atqve Hi-  
spaniæ regis Batavorumqve foederato, li-  
citum liberumqve eslet dimittere legatos  
Coloniam, qvi ejus rem causamqve tra-  
etarent: nihilo justius fecisse, qvùm  
Gvilielmo Egoni Fürstenbergio, de se  
atqve de patriâ suâ malè merito, & nun-

quam ab se in loco legatorum habito ju-  
reqve abrepto plus, quam paci, tribuisset,  
eainque dissolvendi conventus occasio-  
nem arripuisse: nec minus sibi, quam aliis  
notum esse, quantis injuriis Germaniam  
affecisset, dum Principes plerosque non a-  
lliam ob causam, quam ob cultum obsequi-  
umque ritè sibi servatum infestasset, pacem-  
que pariter Monasterii, & Cliviæ Aqvis-  
grauique conventam rupisset, omniaque  
consilia, & propositas etiam superiori anno  
ab se pacis gratiâ inducias rejecisset: unde  
per fidem muneris, perque suam & impe-  
rii auctoritatem invocatus, opem auxili-  
umque præstare necesse habuisset: utque  
officio suo non deesset, ejus rei causas per  
legatum Sternbergium regi Svediæ expo-  
suisse, qui tales esse ipse judicasset, pro-  
pter quas incepto lacependæ Germaniæ  
desisteret Christianissimus rex, vique in  
posterum abstineret, & damna etiam illa-  
ta sarciret. Alioqui non recusare Cæsa-  
rem, quo minus legati Hamburgi, sive  
alia quâdam in finitima civitate, utpote  
Bremæ aut Lubecæ ad tractandum de  
pace

pace convenient, munereqve utilissimô perfungantur: ut primum enim certa loci ratio constituta fuerit, se pro summâ voluntate suâ ac studiô in pacem, Legatos suos eò dimissurum: de Fürstenbergiô rationes passim esse vulgatas & manifestas, qvibus ejus captivitatis iustitia doceatur: itaqve pro eô nullam qvoqve intercessionem apud se valere, cum sicuti is belli tam pernicialis conflandi auctor fuerit, ita ejus perseqvendi impulsor futurus sit, siqvidem in libertatem restituatur. De cæterô nil ex diligentia officii sui mutare velle, nec inutile putare, si Svedi alios qvoqve ejus tam arduè conciliationis socios habent, qvam in rem polliceantur operam atqve studium; Pontifex Romanus, simul & Angliæ Daniæqve Reges. Haud nesciebant Svedi, qvò id valeret, nihilqve dubitabant, qvin eam in suspicionem incidissent, qvasi pro Rege Galliæ, cui voluntate & fœdere conjuncti essent, clanculum niterentur: majoremqve post offensam incurrebant, qvum de rebus

ad conciliationem illam non pertinen-  
tibus, constitutos ab cæsare commisso-  
rum curatores appellarent, qverelasqve  
nomine Hungarorum exulum perfer-  
rent, passimqve ibi & in Silesiâ ex capite  
religionis ingravescentia mala expone-  
rent, scriptôqve complecterentur, qvæ  
via tunc percommoda videbatur, ut unâ  
eâdemqve occasione pacis religionis-  
qve res confectas darent. Sed hoc ita  
acceptum est, qvasi minis atqve obnuni-  
ciationibus contendere statuissent, præ-  
fertim qvùm Cæsarîs auctoritatem pro-  
justitiâ administrandâ implorabant,  
sententiasqve & decreta ab Senatu im-  
periali aulicô, qvibus more atqve institu-  
to Germaniæ sine exceptione standun  
est, in causâ Oldenburgicâ nimium fe-  
stinanter promulgata, alia contra diu  
fatis & permolestè tracta suspensaqve  
esse qverebatur: his verò afferri reme-  
dium, & legum jurisqve haberi rationem,  
momentaqve controversiæ Delmenhor-  
stanæ iterum ponderari cupiebant ma-  
gnopereqve postulabant: nam id sua pa-  
riter

riter & Ducis Gottorpini interesse affirmabant, propterea quod jus suum, quod tanquam duces Bremenses, ratione Delmenhorstiani Comitatus praediti fuissent, simul in propaginem Holsatiæ regiam & Gottorpinam contulissent: quæ cessio, pace Rothschildensi comprehensa, passioneqve pacis *Septentrionalis* denuo confirmata, esset ejusmodi, ut inanis fineqve effectu esse non posset, eamqve sibi causam esse, cur doleant, curqve pati non possint, ut per præcipitatas judicii aulici rationes, fructus juris superiori cessione acquisiti domui Gottorpiae eriperetur. Mox subjiciebant, non aliter secum agi in aliis rebus, ut maximè etiam earum causa fidem auctoritatemqve suam interposuissent, quod argumento suæ *interventionis* sponzionis que, cum pax Osnabrugæ concordibus animis sanciretur, factæ demonstrare sibi integrum foret: quam in sententiam adducta sunt capita restitutionis Comitatus Falckensteinii, & præfaturæ Brezenheimenfis, ad eumqve modum

dum negotium satisfactionis Mariæ  
Christinæ Comitis Leonsteiniæ , atqve  
hæredum Pauli Kevenhulleri, qvæ con-  
tra jus , contraqve modum exeqvendi  
sanctione Westphalicâ definitum, cœpe-  
rint differri atqve procrastinari : nec tan-  
tum in recipiendis his juribus, ad eundis-  
qve secundum leges hæreditatibus alie-  
no nomine, et si non sine offensâ & o-  
diô , elaborârunt, sed etiam pro liberta-  
te sacrorum per regiones Austriae, no-  
minatimqve per Hungariam & Silesiam  
instaurandâ , maximopere anniti cœpe-  
runt, eô præfertim tempore, qvô bellum  
Gallicum hærebat in Germaniae visceri-  
bus , patriæqve periclitantis status ante o-  
culos versabatur adeò ut in tali fortunæ  
articulô , qvô armata ipsorum auctoritas  
in Pomerania erat , *interventionem* , no-  
mine prædictarum regionum pace Osna-  
brugensi approbatam , freti opportu-  
nitate, conficiendam putarent , vehe-  
menterqve adeò & fidenter urgerent at-  
qve dicerent, eam omni jure vim habere,  
frustraqve & inutiliter minimè esse ad-  
jectam;

jeſtam : valere igitur , prorsusqve talem  
eſſe , qvæ impleri debeat , ne pactionis , cu-  
jus & ipſi ſponſores ſint , fides veritasqve  
eleuentur . Contra ea firmus Cæſar , ni-  
hil iniqui ſe cupere ac ſtatueret , teſtatus ,  
de tempeſtivō ſuſiecturōqve belli reme-  
dio , deqve ſarciendis laſorum Princi-  
pum ordinumqve Germaniæ daminis  
Ochſenſtirnam commonendum cura-  
bat : de rebus imperii nil angeretur , ubi  
leges , moresqve patriæ valerent , æqvō-  
qve jure omnes controverſiæ termina-  
rentur : Silesiæ principatuum regionum-  
qve non unam eſſe conditionem : nam  
qvod eos Silesiæ ducatus attineat , qvi  
null& interjectō ad patrimonium regium  
ſpectent , eorum religionis libertatem  
gratiæ capite contineri , cauſamqve ejus  
referrī ad interventionem regis Svediæ  
Principumqve Protestantium : clauſulam  
verò de non inferendâ vi additam docu-  
mento eſſe , cur ii , qvi ad præſtandam in-  
terventionem ſe obligarint , iſtō nomine  
nil hostile moliri debeant ; etſi igitur in-  
terventio regis Svediæ protestantiumqve  
pactio-

pactioне Westphalicâ includatur, prorsusque inanis & nulla esse non debeat, non tamen propterea armis ferendis esse locum, qvòd sine vi sineqve hostili facta eam interventionem peragi oporteat, prout id pacto convento sit comprehensum. Qvod cum reliqvis ducatibus, qvos inter vero vicarioqve Uratslavensis Episcopatus nomine, perpetuoqve jure Uratslavia Civitas est, perinde se non habet, qvorum liber sacrorum usus ab Cæsare ita concessus confirmatusqve est, ut minime ab interventione pendeat, nec beneficiis duntaxat aut gratiæ titulo, sed sine conditione, sineqve interventionis & intercessio-  
nis adjectione vere perpetuoqve pacti jure contineatur : de regno Hungariæ nil posse sibi imputari, cuius res ob supe-  
riores factiones cœpissent commutari : neqve fraudi esse Svedis, si apud qvos fomes discordiæ dissensionumqve ha-  
ctenus fuisset, illis tandem in universum jure exercendi sua sacra interdice-  
retur : eò magis, qvòd plerique facri ordinis homines fassí essent suam cul-  
pam :

pam : qvanqvm Protestantes fidem Regi servasse se , affirmare pertendebant , nec Cæfaris , sed Cleri aversum ab se animum qverebantur , multos vi ac metu coactos , Delegatorum voluntati non repugnasse , capitaqve contra se prolata contumeliis minisqve conturbatos subscriptissim : reliqvos in sententia de vita honeste innocenterque acta perseverasse , & catus compedibusqve vindicatos fidem cultum que Regi probasse , eiqve sincerè & constanter paruisse , nec dictis aut factis , neqve ullis consiliis honorem , famamqve & securitatem Regis laesisse : sed utcunqve hæc , incolumi Cæfaris auctoritate , agebantur , tūm certè apparuit , spem humani auxilii illic sublatam , nec interventione Svedica refectam , qvūm ab iis initiis profectæ suspiciones ita quotidie invaluerunt , ut dif- fidentia erga Svedos magis magisque augeretur . Qvare palam ad eos pronunciatum , si conciliatores , etiam post hac esse vellent , neutri parti voluntate studioqve se conjungerent , armisqve & vi abstinerent , nec Cæfaris socios aggredire

derentur : tūm efficerent, ut certa sufficiensqve satisfactionis ratio ab rege Galliæ, tanquam ejus belli auctore, iniretur, cum Cæsar pro summa auctoritate sua committere non posset, ut lœforum Principum causa negligeretur, & nondum confecto satisfactionis negotio, pax dubia anteqvæ statueretur : de propositis induciis eum nil nisi voluntate & assensu Fœderatorum acturum, qvòd in re ad omnes pertinente, honesta ratione & modo, nec inconsultis sociis, per se qvidqvam agere velit aut possit. In Polonia Johannes Sobieskius, Gallicæ qvidem necessitudini obnoxius, sed famâ belli & auctoritate validus, repugnantibus tamen acriter Pataziis, regnum capiebat, Princeps contumeliam Lithuaniae patiens, ut sine turbis supremum potentiam gradum iniret, asperamqve & potentem eam gentem composto more æqyovè jure demereretur. Sed Austrii tunc in ea cura versabantur, ut Carolum juniores Lotharingiæ Ducem Republicæ quam diligentissime commendarent, missaqve illuc ad Comitiam

mitia Christophoro Leopoldo Schafgotschio, nomine Ducis, atque ei nupturæ reginæ viduæ Eleonoræ Mariæ, regnum prensarent. Alii pro Sobieskio annitebantur, horumq; partes gratiâ & studio prævalebant, qvas fovebat Rex Christianissimus, atq; omne studium adhibebat, ut concilia-  
tis Procerum voluntatibus, firmatisq; de integro affinitatibus, in Poloniæ Hungariæque confinio nomen atque auctoritatem suam amplificaret. Eam in sententiam reb⁹ Reipublicæ miseris tunc maximeq; mu-  
tantibus opem, subsidia, pecuniam pro-  
lixè pollicebatur, effecturumque se recipie-  
bat, ut allevaretur qvodammodo, & dein-  
ceps à metu atque mole belli Turcici libe-  
raretur. Nec aliter vicini, etiam à Gallis  
alieni, existimabant, cum nollent, Princi-  
pem suis opibus nimisq; clientelis subni-  
xum ea dignitate ornari, qvā transcendere  
æqvum potentia gradum, finitosq; fo-  
cios & beneficiarios Principes minùs beni-  
gnè imperioseq; tractare posset.

Nec dum verò Lusitania consiliis Gallicis de rumpendo Hispanorum fœdere

fœdere locum dabat, sed ad quietem pacemque retinendam spectabat, simul & cavebat, ne domi dissidia gliscerent, quæres fortunasque Petri regiam potestate Principis everterent, & novis deinceps turbis materiam darent. Eodem tempore in Lusitaniæ Comitiis statutum sanctumque est jus ejus regni in posterum ad feminas devolvendi, si nulli mares Petro nascerentur, partim ut Ordines ei gratum navarent officium, partim ut regni illius successione incerta esset, partim ut omnis occasio discordiis motibusque præcideretur, partim ut ei præmio foret, qui necessitudine proximus cum Petri filia matrimonii societatem contracturus esset. Major multoqve periculosior apud Siculos rerum conversio fuit, quando Messanæ quidam Tracastagnius non obscurò loco natus, & factione plebis potens audaciaq; sua fretus, fœdum ea in urbe tumultum concitavit. Paulo enim post, quam Princeps Lignius, qui in ea insula pro rege Hispaniæ imperium gessit, pro duce Mediolanum recturus in Italiam discenserat,

serat, semina seditionis, qvæ prudentiâ ejus ad id usqve tempus cōpressâ fuerant, suscitari iterum vehementiusqve agitari cœperunt. Qvæ res magni erat momenti, qvòd non modò ad detrimentum Hispaniæ, sed etiam ad periculum Italiæ pertineret, siqvidem ea urbs tam opportuno sita est loco, ut fines vicinarum regionum percommode aperiat, adiutumqve ad Italiam Africæqve oras muniatur. Urbis ejus populus per se varius atqve in res novas pronus ob superiores annonæ difficultates concitatus, remedioqve in tempore allato placatus, deinceps ob privilegia, qvæ auctore Stratico prætore regio labefactari convelliqve querebatur, gravissimè est commotus. Cum res in eo discrimine esset, Hispani vi armisqve obsistere conati, mox ubi se turbis sedandis impares senserunt, in arcem, qvæ portuī urbis adjacet, sese receperunt. Nec verò sic ardor factiosorum hominum mitigari potuit, qvùm vires ad se tuendum nacti, omnia extrema in animis molientur, rati hoc esse tempus, quo acerba ini-

iniqvave regiorum præfectorum impe-  
ria ulciscerentur. Non deerant, qvi  
putarent apud finitos Barbaros que-  
renda esse auxilia, si rationes Hispænicæ  
ad expetendam ab se pœnam referren-  
tur: Cumqye ad eum modum, qvo ipsi  
cupiebant, veniam admissorum non im-  
petratos se existimarent, atqve etiam  
decretum oblivionis ea formâ, qvâ ab ipsis  
conceptum erat, exempli causa denegare-  
tur, jamqve cohortes Hispænicæ finibus  
eorum appropinquarent, metumqve indi-  
es augeterent, animos & consilia in Galliam  
**convertebunt**, Regiqve turbitum gentis in-  
genium foventi sese in clientelam tradide-  
runt. Sæpe enim in utilitatem suam ver-  
tit hostis, qvum ad ostentationem auto-  
ritatis delicta punitur, qvibus ignosci  
expedit, ut populus, qvi nulla re magis,  
qvâm moderatione & pollicitationibus in  
officio retinetur, ad tentanda ultima ne  
adigatur. Qvare dum gravius in eos  
consulitur, saluti suæ desperantes Regem  
Gallæ de auxilio solicitant, qvi pro Re-  
ge ipsis constituit Comitem Vivon-

nium, virum præsentis animi minimeqve  
incautum, qvem summo cum gaudio  
gratulationeqve acceperunt, curamqve  
& defensionem suam ipsi permiserunt,  
regisqve Hispaniæ insignia confrege-  
runt. Is mox Senatni, qvem juratorum  
nomine appellant, tales conditiones pro-  
posuit, qvæ significarent eum aliquid fini-  
stri suspicari, qvum præter cœptas ibi  
mutationes, plenum armorum imperium  
totamqve Reipublicæ administrationem  
strictissimè sibi vindicaret, maximeqve id  
spectaret, ut arcem *Saluatoris* occuparet,  
ac liberos terra mariqve aditus versus ur-  
bem in potestate suâ haberet, qvibus ad  
annonam resqve necessarias subvehen-  
das uteretur. Qvod cum Hispani, vi-  
ribus impares, nec in proximo fatis tuti,  
prohibere non possent, maximum da-  
num illatum est commerciis Urbis Ge-  
nuensis, qvæ secundis per Siciliam Italiam  
amqve Gallorum rebus ne qvicqvam flo-  
rent, vehementerqve imminuuntur, si  
qvidem par est causa odii erga Hispanos  
atq; Genuenses, qvorum naves multis sæ-  
peqve

que repetitis mari prædationibus infestabantur, nec minus à Sabaudi finibus sibi metuebant, quem concitari à Gallis, impelliique ad faciendum bellum sciebant. Nec Trompii expeditio, quæ afflictis Hispaniæ rebus momentum allatura videbatur, felices successus habuit quum Galli parati instructi; ad propugnanda Bajonæ littora essent, domique seditiones in Cismerina Britannia & Normandia suppliciis auctorum finirentur, atque in ipsum etiam ducem Robanum regi propinquitate junctum animadverteretur. Helvetii per Leonhardum Pappum, Constantiensem praefulem, qui apud eos cum legati ordinarii titulo erat, ab Cæsare prolixè comiterque admonebantur, ut pacis Westphalicæ, cuius socii confortesque essent, rationem habere vellent, proque studio veteri & amicitia, quam transactione quoque Osnabrugensi confirmasset, minime committerent, ut intra regiones ipsorum regi Galliæ, suo reique publicæ Germanicæ hosti, deinceps conscribendi militis potestas fiat: quod nescire non possint, eas esse su-

superiorum fœderum, qvæ cum majoribus suis percussissent, conditiones, ut ad opem ferendam sibi teneantur, præcipue cum res sua totiusq; Germaniæ in magno discrimine sit, salusq; & existimatio tot egregiorum innocentiumq; Principum petatur: darent ergo sibi & Germaniæ, ut recuperandæ tranquillitatis causa operam & auxilia ad defensionem suam conferant, nec sinant, ut hostis ab ipsis auxilia accipiat, aut, qvæ acceperit, retineat, & qvomodo juvetur. Simul & fœderati Principes missis illuc internunciis petierunt, ut causæ honoriq; suo studerent, atq; in reprimendis Gallorum armis voluntatem atq; officium sibi probarent. Nam liqvidò id licet qvidem confirmare, Helvetios expacto Osnabrugæ conuento obligari, ut non modò non frangant Reipublicæ Germanicæ pacem, sed ne conniverre qvidem, aut qvacunq; ratione jurisvè specie permittere debeant, ut ea ab aliquo frangatur turbeturvè. Tantumq; abest, ut fœdera ipsorum cùm rege Galliæ inita contra prædictam

pactionem valeant, ut qvoqve eo temporis articulo & casu, qvo regem istum hostem imperii judicari contingat, veluti anno cIc LXXIV. re ipsa qvidem id contigit, ex capite contractæ obligationis færendæ opis lege teneantur. Sed interpellati etiam rogatiqve tunc nil tale susceperunt, salute nqve simul Comitatus Burgundiaæ transjuranae, qvi vulgo liber dicitur, vera qve veteris regni Arelatensis portio, & Germanici qvoqve regni membrum, & in primis ipsis finitimus, ac patrocinii etiam nomine obnoxius est, neglexerunt, appellati qve de auxilio minime propugnandum susceperunt: qvam in sententiam rationes utilitatis fœderum commerciorumqve Gallicorum eos induxerunt, qvippe nondum obkitos, ope amicitiae Gallicâ fese ad libertatem contendisse, qvæ postea transactione Westphalica est confirmata. Sed etiam plus sibi in Pomeraniæ finibus permiserunt Svedi, & prætermisso à Brandenburgico officii, negletiqve fœderis culpam verbis scriptisqve amplificarunt, quasi nempe repetitâ

petitâ versus Rhenum expeditione leges imperii convelleret, qvum sciret, sibi non esse integrum ei bello se immiscere, qvod ex præscripto pactionis Westphalicæ atque ex formula fœderis Coloniensis ad Svevum prohiberetur, quo minus pro salute & fortuna Palatini justas copias duceret, siqvidem istis rebus fieret, ut traheatur bellum, pacisque negotio longa atque inutilis mora afferretur. Igitur pertinere ad Brandenburgicum, ut conditiones, qvibus Monasterii cum rege Galliæ transactum esset, serventur, qvod non futurum sit, si in Rheni finibus bellum gerat: nec posse eum ignorare, se ejus pacis proximæque cum rege Galliæ transactionis, qvam alterâ expeditione fregerit, sponsores esse, qui providere debeant, ne quid fiat, qvo res in extreum periculum adducatur. Qvare paci Westphalicæ fœderique secum iicto satisfaciat, hortantur: qvod si respuat, non posse discedere ab armis, qvæ non ad inferendam rei vim, sed ad conficiendas pacis rationes spectarent. Simul & odio invicti etqve ipsius tribuebant.

bant, qvòd Vindobonæ de bello adversus Gallos perseqvendo, contra qvam pollicitus fuisset, per internuncium tractasset, rationesqve fœderis & fortunam suam sponte commutasset, admonitusqve ut fœdus servaret, cogitationes pariter viresqve suas aliò, qvam justitia pacti exigeret, convertisset: inde verò nullo negotio posse intelligi, qvò consilia isthæc valerent, qvum occasio causaqve bellandi rursus qværentur: Tum verò clausulam fœderi convento adjectam, qva ad mutuam communicationem Svedis se obligasset, minimè confectam dedisse, eoqve pacifica consilia, & molestas difficilesqve superiorum temporum tractationes, fœdusqve ipsum tandem ad nihilum rediisse. Posthæc que-  
rebantur, edicta ad revocandos ab societate militiae externæ Germanos per Mar-  
chiam vicinasqve regiones promulgata  
in primis dirigi ad Svedos, qvos clam  
palamqve petat Brandenburgicus, qui  
convelli cupiat pactionem Osnabrugensem,  
ut armis se mittat in possessio-  
nem Pomeranix Orientalis, cuius re-  
cuperan-

cuperantæ qvanto desiderio teneatur, perspici ex superiore bello Septentrionali, pactisqve cum Cæfare, tanq; rege Hungariæ & Bohemiæ, initis, qvæ eò pertinuerint, ut Sedini potiundi occasionem captaret, oppidaqve in proximo occupata & insessa retineret: nec dum eas cogitationes abjecisse, qvando interpolationem ab Saxone & Bavarо factam obstinate detrectasset: qvin & literis asperè præterq; modum & consuetudinem scriptis se incessisset, atq; in præcipuis Europæ aulis odium sibi & invidiam conflasset, Cæfaremque & Germaniæ Principes contra se concitasset, ab iisq; subdia & auxilium contra Svedos, veluti communis Patriæ hostes, postulasset, omnesq; juris, amicitiæ, foederis atq; vicinitatis leges neglexisset. Ad hæc copiolè respondit Brandenburgicus fidei servatæ securus, qvòd in maximo rerum discrimine omnia consilia atq; cogitationes ad salutem Germaniæ retulisset, magnoq; cum periculo suo & fortunarum dispendio, eam expeditionem suscepisset, ad qvam

cur sese obligasset, non cupiditate profendi Imperii, sed amore patriæ, qvam juvare teneatur, adductum fuisse : Sacras enim Imperii leges, fidem, in qvam ab Cæsare adactus sit, necessitudinemq; & pacta inter Principes ELECTORES confirmata ab se hoc officium exegisse : religionem obsequii erga summum caput, jus atqve dignitatem suam, instituta legesqve Imperii servasse, contra autem fecisse Svedos, pacemqve publicam fregisse, & Regi Galliæ pro hoste patriæ habito, contra sanctiones publicas, contra decreta Imperii, contra libertatem Germaniæ, cuius defensioni atqve commodis sanctè cavisserent, consilium & opem tulisse, infestumqve exercitum in fines suos adduxisse : mox ibi stativa atqve hospitia pro libitu sibi designasse, & plerosqve ditionis suæ homines per Uckeranam Marchiam, ac deinceps per Occidentalem Pomeraniam Novamqve Marchiam male multasle, nec non eqvites in ducatum Crosnæ, vetus gentis Zolleranæ peculium dimisisse, qvi tributa militaria imperarent, tūm subsidia

dia annonæ, resqve frumentationi aptas  
more hostili exegisse, & insciis invitatisqve  
eripuisse, simul & propugnaculum, in quo  
præcipue transitus securitas posita sit, vi  
& armis occupasse, qvin & adjutore con-  
siliorum Vitrio, homine externo, atqve  
in hostis verba & fidem adacto, multa ini-  
qvè & insolenter fecisse, nec modò dese-  
ruisse Germaniam, sed etiā oppugnasse,  
jus pacta, vicinitatem violasse, tranqvilli-  
tatem publicam conturbasse, decretis in  
Senatu Imperii factis minimè paruisse,  
sententiisqve nomine *Circulorum* supe-  
rioris & inferioris Saxonie promulgatis  
morem non gessisse, cumqve iure experiri  
potuissent, protenus arma sumpssisse, at-  
qve in alienas Regiones, de nemine malè  
meritas, suamqve & Imperii fidem secu-  
tas, castra movisse, & superioris Saxonie  
*Circulum*, cuius & ipsi portio sint, cuiqve  
iure & omnibus officiis devinciantur,  
infestasse: de cætero se, nil qvod ad ob-  
ligationem & diligentiam suam specta-  
ret, prætermisssse, conditiones pacis  
Westphalicæ & foederis proximè icti sin-

cerè implevisse & servasse , libertatem patriæ , securitatem cognati ELECTORIS per leges imperii , perqve fidem , qva Electores mutuò sibi obstricti sint , propugnasse : formulam transactionis Colonienfis sacris imperii legibus fraudi esse non posse , neqve ejus sententiam eò pertinere , ut culpâ suâ Germaniæ salus negligatur : de communicatione qvoqve satisfecisse ejus capiti , qvùm haud obscurè Kalendis Majis hujus anni Wangeli- nus de æqvo & justo suo proposito com monitus fuerit : edicta ab se , in clientes hominesqve suæ ditionis , secundum jus fasqve imperii lata promulgataqve esse : nec iis Svedos offendì potuisse , cum se voluntati & fidei Cæsar is atqve imperii per mitteret , eorumq; opem invocaret , qvorum mandatis decretisqve omnia consilia atqve instituta sua responderent : præterea tot pericula sumitusq; se Germaniæ causa subtinuisse , ut ope destitui non posset , nec boni exempli esse , ut ab rege socio & con sorte juris Germanici tam asperè in cle-

inclementerè consulatur in Principem Electorem, qvi in belli socialis justissimi societatem venisset, qvive subiisset communem fortunam patriæ, in cuius fide clientelaqve esset: de conciliatione, qvam Saxo Bavarusqve obtulissent, nil se recusaturum fuisse, si per belli auctores fieri potuisset, qvi cum de pace commemoratione, arma nihilominus retinerent, & damnæ vastitatemqve suis regionibus inferrent: causam ejus rei jam esse talem, ut pertineat ad securitatem atqve existimationem universi imperii, qvod læsis opem tutelamqve præstare teneatur: in foedere cum rege Galliæ facto se sibi reservasse jus patriæ, si suo auxilio indigeat, subveniendi, cum per officium Germaniæ Principis non potuerit aliter pacisci, qvam leges ad fundamentum Reipublicæ pertinentes paterentur: nec juri suo fraudi esse, qvod ultra portionem, qva Reipublicæ teneretur, auxilia misisset: nam id charitatem patriæ indignè à Gallis vastatae, & fidem, qvam Unioni Electorum sanctione Cæsar is jureqve jurando confir-

matæ dedisset, ab se postulasse; unde constare possit, nil se præter leges præterque pacta conventa fecisse, etsi sciret, consilia ipsorum ad lationes viresque suas ab Cæsare & republica se jungendas valuisse. Qvæ cum à Brandenburgico ad tuendam causam afferrentur, tum inclinati sunt Cæsaris Principumque animi, ut pro securitate ejus se vades sponsoresque darent, & communi sententiâ in Comitiis statuerent, eâ ratione & modo, quo Diutatum Cliviæ contra Gallos tuendum suscepissent, cœteras qvæque ejus regiones propugnaturos, salvasque præstituros esse: qvod periculum ut in se reciperent, conjunctisque animis & suffragiis in eam sententiam decernerent, multum contulerunt F. Ordines, & Cæsarem rogarunt atqve obtestati sunt, ut Svedos, ad qvos decretnm istud haud ambiguè pertinebat, in numero hostium haberet, qvæ res altero post anno demum voluntate atq; suffragio imperii Ordinum est confecta. Interim legati Ordinarii regis Galliæ, qui passim in aulis civitatibusque præcipuis commorabantur,

bantur, exire iussi, distrahendæ consiliis Germaniæ spe ceciderunt, qvam fortunam quoqve tunc subiit Robertus Gravellius, qvem Rex cum pleno mandato Ratisbonam miserat, ut rationes causasqve actorum suorum doceret, perqve ipsum studia & suffragia Principum sibi conciliaret: qvod cum ad ultimum pro eo, ac sperabat, confidere non posset, sortem suam æstimans, decreto paruit, & urbe excessit, qvòd è republica non esset, ut per eum virum multis & acribus contradictionibus convelleretur auctoritas Cæsaris, qvi mandatis *avocandi* causa editis, ejus rei fundatum jecerat, ut Germania consiliis rebusq; consentiens, contra hostiles conatus in posterum firmaretur, planeqve in tuto collocaretur. Post unam alteramqve excusationem in eandem sententiam ivit Lotharius Fridericus Pontifex Monguntinus, Palatino infensor, qvasi ejus **consilia** suæ & temporum illorum fortunæ non convenirent, qvando controversia Böckelheimensis adhuc tam vehementer inter utrosqve disceptata est, ut alteru-

tri qvoqve moderatio versus Galliam, stu-  
dio partium tribueretur. Nec diu sub-  
stitit Francofurti Perodius, cum præscripta  
à Cæsare exeundi sententia contra eum  
promulgaretur, minimeqve omnium mo-  
randi causas habuit Johannes Frischman-  
nus, qvùm res Galliæ Argentorati inclina-  
rentur, studiaqve in Cæsarem converteren-  
tur: qvo rerum statu Svedici internunciï  
omni ratione annitebantur, ut regi suo per  
Germaniam socios atqve amicos pararent,  
qvi unà secum partes redintegranda pacis  
explerent, sed ejus conditiones non re-  
cepit Cæsar, qvùm postularet idoneas cau-  
tiones, qvibus sibi Fœderatisqve suis fa-  
tisfieret, recentesqve offensiones, unde a-  
liqvando post civiles dissensiones exortæ  
funt, obliterateantur: qvæ cum transfigi  
non possent, altero anno in perniciem  
Svedorum verterunt, & Snolskius etiam  
atqve Blumius, qvi ex dicendi libertate  
non tenuerunt modum, fortunæ cesse-  
runt, cum Brandenburgicus suffragiis  
vinceret, & damna, periculaqve & im-  
pendia sua rationibus atqve exemplis de-  
mon

monstraret, jacturamqve natu majoris Filii Caroli Æmilii, quam in altera expeditione fecit, exaggerans, immerenti sibi neminemqve lacescenti inferri vim, iræ dolorisque plenus quereretur. Cum verò Svedis non deessent causæ, quam ultioni armisque suis prætexerent. Duxem Hannoveranum Johannem Fridericum fœdere sibi conjunxerunt, ut eo adjutore atque socio regionum finitimarum Bremensis & Verdensis tuta ipsis possefatio esset maneretque: tum amicitia & affinitate Gotorpina rem eò deducere cupiebant, ut clauso custoditoque Cimbriæ Chersonesi aditu, contra belli ab Daniæ inferendi molem se compararent: rebus ibi constitutis, cum Bavarо defensionis fœdus inierunt, quod datum est honori commodisque eorum, qui fœderis vinculo inter se colligati, unâ secum paci recuperandæ seriò operam darent: fœdus inseqventi anno Monachii Bojorum ictum perscriptumque est, quod non parum offensionis habuit, præcipue cum ultro citroque mitteren-

tur, qvi Principum animos pertentarent, ut summo studio sineqve mora negotium pacis urgerent: uade aucta est suspicio, quasi specioso pacis titulo id ageretur, qvod neqve ex re, neqve ex dignitate lœfæ Germaniæ esset, qvippo ad cuius contemptum injuriamvè pertineret, qvicqvid in re tam ardua præcipitaretur, ubi æqua de satisdando postulata qvæ omni jure valere oporteat, contra tot vota obtestationesqve à se factas rejecta fuissent. Eo minùs epistola ab rege Svediæ in extremo hujus anni ad ELECTORES Principes-qve & Ordines imperii perscripta placuit, qvòd tale qvidem id tempus esset. qvo honori & caufæ Germaniæ favere debeat, ut qvod in ea parte à Brandenburgico suscepimus actumqve sit, communi consilio atqve assensu approbetur: qvandoqvidem securitatis pariter atqve existimatio-  
nis omnium intersit, afflictis Germaniæ rebus afferri remedium, præstariqve laborandi Reipublicæ opem, cuius supra lex sit, ut iura, judicia & libertas conserventur: hoc postulare autorita-

ter

tem Cæsar is & Imperii. hoc svadere extremā  
rei necessitatē ut de injuriis posthac non  
inferendis sibi & Brandenburgico caveatur.

1675. Cum verò nullæ reconciliandæ  
amicitiæ rationes proficerent, neq; alteru-  
tra pars metu armorum, & instantis peri-  
culi denunciationibus flecti se cogivè pa-  
teretur, tota ea pacis tractatio irrita fuit,  
cum Svedici apparatus belli vires & consi-  
lia distraheret, insigniterq; mutaret : qvæ  
res principiò qvidem tardè moderateq; ve-  
gerebatur, propositis ab Cæsare in eam  
sententiam conditionibus, ut componen-  
dæ cum Brandenburgico controversiæ  
ratio iniri posset. Præterqvam enim qvòd  
Benedicto Ochsenstirnæ erat confirmata-  
tum, Svedos omnia sua in Germania secu-  
rè habituros, si tranqvillitati locum darent,  
Fœderati Ordines qvoq; curatoros se re-  
ceperunt, ut qualiscunq; etiam futura esset  
Regis Galliæ fortuna, nil ad ipsos pertine-  
ret, nec aliter Brunswigæ Vindischgrazius  
pronunciavit, hanc Cæsar is esse mentem  
testatus, ut Regionibus, qvæ ab Imperii  
tutela pendeant, tutō libereq; præsint,  
modò

modò arma missa faciant, neminemve lædant: tūm decreta Comitiorum *Circulorumq;* oculis obversabantur, qvæ ejusmodi erant, ut Brandenburgico contra qvamcunq; vim subsidia & securitatem sponderent. Verùm occulta metus ratio & diffidentia erga vicinos Principes tantum apud eos poterat, ut omnem prope suam fortunam successibus Gallicis metirentur: simul reputabarit, qvo in discrimine versarentur, si umis ille tam potens Germaniæq; præcipue timendus Rex ad repetendum pristinos fines armis cogeretur: jam à tempore inde Caroli Gustavi Regis multa præter voluntatem suam accidisse, qvæ mutatos Principum animos, ingenia belli & occasionum cupida plus satis docere possint: inanem esse potentiam jure, non vi sua nixam, qvæ ratio sit non deferendi fœderati Regis, qui pacis Westphalicæ socius sponsor vindexq; sit, qvam si convelli patientur, debile causæ præsidium in Germania habituros: vix æq; vo & honesto modo controversias recessu Sedinensi c. 1515c LIII. transegisse, qvùm lites querelæq; passim coeptæ haud

haud obscurè significassent, qvali pæctorum fiducia niterentur: mox initum qvoq; contra se fœdus indicio fuisse, dubiam periculiq; plenam pacem fore, ad qvam tenendā socii confortesvè lege armatâ compelli ne-qveant: qvare non posse committere, ut finitimus ELECTOR à jure & æqvitate fœderis declinet, qvi jure gentium plenè & sincerè omnes ejus conditiones implere debeat: his modis ipsum se patriamq; à majoribus malis liberaturum, nec aliud sibi propositum esse, qvām ut æqua & honesta pax inter partes bello dissidentes conficiatur: nec dubitare, qvin eam conjecturi sint, si ELECTOR res pace constitutas habeat, postulatisq; justis annuat, nihilq; facias, præter contraq; formulam pæcti conventi. At verò Brandenburgicus ejusmodi pacem abnuebat qvæ non æqvis utilibusq; patriæ conditionibus iniretur, qvæq; non ad omnes atq; singulos bellantes pertineret, essetq; talis, ut securitati suæ pariter, & libertati Germaniæ adversaretur: jam diu enim exploratas esse extenororum Regum destinatiōnes, qvæ eò valeant, ut rerum Germani-carum

carum arbitrium potestatemq; interpretandi pacta tantum sibi sumant, quum spernant Imperii decretum, infestent Principes, lassantq; Reipublicae dignitatem : metus & diffidentiae rationes suggeri & foveri à Gallis, ut per contraria Principum studia ad Germaniae perniciem tendant : securitatem Svedis promissam & praestitam fuisse, quo ad pacem retinuissent: nunc cum leges convellant, bellumq; conflent, merito suo periclitari : nec ad suam culpam pertinere, quod rebus antehac in Dania turbatis, arma in fines eorum converterit, in eo enim nil iniqvè se fecisse, quod belli repellendi sibi jus esset: ipsos non stetisse promissis, multa insolenter in se statuisse, in recessu etiam Sedinensi pacis studio multa se condonasse, & tanquam cum vicinis, qui unius Reipublicae legibus institutisq; secum coauissent, egisse: postea vero, quam bellum Danicum exarsisset, male, de se meritos, bello ad se capessendo causam dedisse: eo deinde finito, nil hostiliter in eos commisisse, nec planam voluntatis suæ significationem omisisse, quum in defendenda patriæ salute  
versa

versaretur: Cæsar, Hispaniæ Regis, Bata-  
vorumq; Legatos scire & testari posse suam  
fidem, qvorum prope indignationem ac-  
cenderit, qvum rationib; atq; consiliis Sve-  
dicis impeditus, arna tardius resumeret,  
unde haud mediocre periculum damnum-  
que ad Germaniam pervenisset: nec facile  
obscrum esse, qvt labores consumpti fue-  
rint in tractatione articuli separati, unde in-  
telligi possit, qvid ex justitiae lege & jure e-  
ius fœderis sibi liceret: tūm si maximè non  
observasset caput fœderis controversum,  
nil admisisse in leges de pace publica latus,  
& si hoc etiam daret, eus rei causæq; cogni-  
tionem ad Comitia Imperii, rejici oportui-  
sse: atq; verò decreta de tranquillitate &  
libertate Reipublicæ promulgata, religionē  
officii erga patriam, qvæ omni aliâ obligati-  
one potior sit, eam in sententiam se aduxisse:  
qvanquam autem noyo illo apparatu in  
invidiam suspicionemq; venerit, qvasi con-  
fecto bello Gallico, invadendæ Svedorum  
viciniæ consilium agitaret, tamen ne data  
qvidem hac facultate se voluisse aut po-  
tuisse uti, qvandoq; idem ita contra leges

&amp;

& decreta Imperii facturus fuisset, qvod per fidem Imperio obligatam sibi integrum non esset, qvodq; semper vitare studuisse: nam qvæ ad superiores res actæque pertineant, belli jure excusari, eorumque oblivionem nuper pace Olivensi esse sanctam: nec offendæ dissensionumque proximarum causas ab se qvæsitas, nec pacis conciliationisque conditiones ab Saxone & Bavarо, & postea etiam à Johanne Friderico Duce Luneburgico propositas nulla sua culpa odiovè pacis, pro qva universè & firmiter restituenda etiam amittitur, sed ob repulsam congruentis satisfactionis, alienaq; postulata repudiatas fuisse. Ab his causis, qvas prout ultimo citroq; disceptatae sunt, memoravi, duæ sunt initia novi belli, qvod magnam quidem expectationem Regi Galliæ attulit, res vero Svedicas in Germania Semper deteriores reddidit, planeq; comutavit superiorum fortunam ejus gentis, qvæ nescire aliquoqvì non poterat, qvatum in amicitia ejus Imperii, qvod totius Europæ negotia momentis suis ponderat, situm sibi esset, qvantoq; impendio constarent partæ nuper pro-

provinciæ, & in primis ea opinio, qvæ nostrâ patrumq; memoriâ apud hostes sociosq; invaluisset, quasi non posset vinci, haberetq; per se pondus ad pacem invitis partibus exprimendam. Sed ubi iste conat<sup>9</sup> minimè felicem exitum habuit, senescentisq; Vranglelli fortunæ Svedis exemplū dedit, cladesq; apud Fehrbellinum, & omissa Vismariæ liberatio res convertit, graviusq; in eos Cæsar cum Senatu Imperii statuit, & Turenii etiam Creqviiq; prælium infeliciter cecidit, Danusq; totis viribus in ipsos movit, majorq; Europæ pars, qvæ se à consiliis atq; studiis Gallicis se junxerat, rebus factisq; his offensa ab alienataq; est, apparuit, serum fuisse consilium, incepto desistere, qvùm præter in juriā, qvarum causa jam communis, remediumq; difficile & arduum erat, sumptus belli qvoq; ita æstimarentur, ut solvi non possent, rationesq; præcipue tales inirentur, qvibus conficeretur defensio, totaq; cœpti recens belli moles in auctores rejiceretur. Qvo tempore etsi non levis suspicio erat erga Daniam, qvod consilia & opportunitates ab eventu peteret, successusq; Fœderato-

ratorum suorum expectaret, Poloniaq; confirmatis cum Brandenburgico pactis insisteret, ipsaq; se contra Barbaros ægrè tuetur, & Russis qvoq; more suo augendorū finium avidis nova spes injiceretur, Germanis autem ea reverentia religioq; in animis inesset, ut domi saltem bella defenserent, non inferrent, legibusve & pactis publicis starent, nullisq; adeo, licet maximis Gallorū pollicitationibus, ad armorum societatem hactenus induci possent, tamen exacerbatis utrinq; animis, ea tempora consecuta sunt, qvæ nullam inter eos & Brandenburgicum instaurandiæ concordæ spem reliquam faciebant. Qyibus rebus impedita est superior expeditio in Alsatiā, bellumq; sociale successu catuit: inter hæc Turenus, distractis hostibus, magnaq; annoriæ difficultate affectis, vires & annonam ex Lotharingia & Burgundia refecit, illisq; in vastata & exhausta regione sine belli horro consistere non ausis, spem Hybernorum eripuit, consiliaq; proficisciendi in hostium antevertit: sive autem nimia successuum fiducia, sive non constituta commeatuis ratio,

sive

sive in summittendis auxiliis solvendisq; sti-  
pendiis cunctatio & tarditas,sive repentina  
rerum Brandenburgicarum comutatio so-  
ciis impedimentum attulit,Turenus anno:  
nâ & subsidiis instructus,contra omnes for-  
tunæ casus sese muniebat, specieq; retroce-  
dentis interdum metum periculumq; simu-  
labat,ut his artibus in conodiorem statum  
perveniret.nocendiq; opportunitatē nan-  
cisceretur.Quo fiebat, ut Fœderati longin-  
q;itate locorum alimentorumvè inopiā  
impediti, Alsatiam præsidiis commeatuq;  
nudatam Turenio recuperandam relin-  
querent:nisi qvōd Dagobertsteinium,qvod  
viam aditumq; ad Alsatiam patefacit,cum  
præsilio tenebat Haugwizius,qvi dum se-  
